INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# ELEMENTA
# AD FONTIUM EDITIONES
# XL

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO
## AD POLONIAM SPECTANTIA
## X PARS
## H B A, B 2, 1554-59

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1976

# INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
# VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

## IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA
**(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):**

XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani.* Vaticani, 1943.

XII — MEYSZTOWICZ V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur.* Vaticani, 1944.

XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt.* Romae, 1947.

XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani.* (Ed. chirotypica. exhausta).

---

ANTEMURALE, I-XX, Romae, 1954-1976

---

## ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

Vol. I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae.* Collegit J. LISOWSKI, pp. XV+292, 704 doc. (A.D. 1373-1565) Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Secretum Vaticanum).

Vol. II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER, pp. XVIII+190, 281 doc. (ante a. 1424) 19 facs. Ind. nom. propr. 1960. (Archivum Capituli Trident.).

Vol. III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* I pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, XVIII+162, 1144 doc. (A.D. 1565-1787) 29 tab. Ind. nom. propr. ind. chron. 1961.

Vol. IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI+311, 166 doc. (A.D. 1578-1603) 9 tab., Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1961.

Vol. V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana.* Ed. P. COLLURA, pp. XI+86, 483 doc. (A.D. 1568-1682) 4 tab. 1962.

Vol. VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum.* Ed. C. H. TALBOT, pp. XI+396, 281 doc. (A.D. 1603-1629) 8 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., glossarium verb. ang. ant., 1962.

Vol. VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* II pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, pp. XIV+250, 1205 doc. (A.D. 1641-1676) 11 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1962.

Vol. VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* I pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ, pp. X+214, 157 doc. (A.D. 1514-1576, 1720-1791) 7 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1963.

Vol. IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae,* I pars. Coll. L. KOCZY, pp. XII+184, 98 doc. (A.D. 1526-1572) 8 tab. Ind. nom. propr. 1964.

Vol. X — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino,* III pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS, pp. XVI+343, 1399 doc. (A.D. 1568-1676) 12 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1964.

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

# ELEMENTA
# AD FONTIUM EDITIONES
# XL

## DOCUMENTA EX ARCHIVO REGIOMONTANO AD POLONIAM SPECTANTIA

X PARS

H B A, B 2, 1554-59

edidit

CAROLINA LANCKOROŃSKA

NON EXSTINGUETUR

ROMAE 1976

SUMPTIBUS
FUNDATIONIS
LANCKOROŃSKI
FRIBURGI HELVETIAE

EDIDIT:
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

# INDEX RERUM


| | | |
|---|---|---|
| Introductio . . . . . . . . . . . . . . . . | Pag. | VII |
| Bibliographia selecta . . . . . . . . . . . . | » | VIII |
| Abbreviationes . . . . . . . . . . . . . . , , | » | X |
| Textus . . . . . . . . . . . . . . . . . , , | » | 3 |
| Elenchus epistolarum . . . . . . . . . . . . | » | 205 |
| Index personarum et locorum . . . . . . . . . | » | 213 |

3 tabulae

# INTRODUCTIO

*In hoc XL volumine* Elementorum ad Fontium Editiones, *X vero seriei nostrae « Regiomontanae », id est documentorum, in Archivo Regiomontano olim depositorum, continentur epistolae procerum Polonorum annis 1554-1559 ad Albertum in Prussia ducem datae.*

*Quarum maximam sane partem (numero 44) scripsit Ioannes Przerembski, Regni Poloniae vicecancellarius, postea archiepiscopus Gnesnensis Regnique primas; secundum locum, quoad epistolarum quantitatem, occupat Regni cancellarius, Ioannes Ocieski, qui eodem annorum spatio 19 scripta ad ducem misit.*

*Ex eminentioribus « protestantibus » Polonis, praeter celeberrimum reformatorem Ioannem Łaski, invenimus hic imprimis Stanislaum Ostroróg et Stanislaum Lutomirski. Quibus, ut ex eorum scriptis facile videri potest, non solum causa ecclesiarum reformatarum in Polonia magnopere cordi est, sed qui etiam non minorem curam ac sollicitudinem demonstrant de futura sorte Regni et de eius successione, post mortem regis heredibus carentis.*

*Ex epistolario hoc in volumine contento clare etiam sequitur, quam magni momenti illis annis fuerit controversia inter Gulielmum marchionem Brandenburgensem, archiepiscopum Rigensem, fratrem ducis Alberti, et magistros Livoniae (Henricum a Galen prius, deinde Gulielmum a Fürstenberg). Quo in negotio primas partes agunt Nicolaus Radziwiłł Niger, palatinus Vilnensis, et Hieronymus Chodkiewicz, capitaneus generalis Samogitiae, Radziwillorum familiae hostilis. Quam ob rem non parum loci occupant hic epistolae, in quibus sermo est de ferendis militaribus auxiliis archiepiscopo Rigensi contra Ordinem Theutonicorum in Livonia. Tota haec causa, quae annis proxime secuturis multo fusius tractabitur, aperit difficilem quaestionem Livoniensem, id est periodum longissimi certaminis pro defendenda ab hostibus Regnoque Poloniae servanda Livonia.*

*Sicut in praeviis huius seriei voluminibus, hic etiam non vulgares reiteramus gratias Archivi Regiomontani moderatoribus, Doctori Ioanni Koeppen, Directori, et Doctori Bernardo Jähnig, Assessori, cui etiam pro textuum germanice scriptorum revisione et correctione ulteriores habeantur gratiae.*

C.L.

# BIBLIOGRAPHIA SELECTA


BAŃKOWSKI P., Nieznany list dedykacyjny A. Frycza Modrzewskiego do ks. Pruskiego Albrechta (*Reformacja w Polsce VI, 1934*).

BARTEL O., Zwingli i Kalwin a Polska (*Przegląd historyczny 56, 1965*).

BAYER H., Z epoki renesansu, reformacji i baroku, Warszawa 1971.

BROWN H., Probleme einer polnischen Reformationsgeschichte. Besonderheiten der protestantischen Reformation in Polen (*Oestereichische Osthefte 8, 1966*).

BROWN H., Polens Beitrag zur Entwicklung des Protestantismus (*Oesterreichische Osthefte 8, 1966*).

CACCAMO D., Eretici italiani in Moravia, Polonia e Transilvania, Firenze 1970.

DWORZACZEK W., Górka Andrzej (*PSB*).

DWORZACZEK W., Górka Łukasz (*PSB*).

FLIGGE J. R., Herzog Albrecht von Preussen und der Osiandrismus 1522-1568. Phil. Diss. Bonn, 1972.

FLIGGE J. R., Zur Interpretation der Osiandrischen Theologie Herzog Albrechts von Preussen (*Archiv für Reformationsgeschichte 64, 1973*).

FRANKIEWICZ Cz., Ze studiów nad soborem narodowym w Polsce. Nuncjusz apostolski Ludwik Aloyzy Lippomano w Polsce, Rzeszów 1914.

FRANKIEWICZ Cz., Starania Zygmunta Augusta w Rzymie o Sobór Narodowy (*Reformacja w Polsce II, 1922*).

HARTLEB K., Jan z Ocieszyna Ocieski, Lwów 1917.*)

HARTLEB K., Józef Struś (*Pamiętnik literacki XI 1912, Lwów*).

HUBATSCH W., Geschichte der evangelischen Kirche Ostpreussens, Bd. I, Göttingen 1968.

HUBER A., Die Verhandlungen Ferdinands I mit Isabella von Siebenbürgen 1551-1555 (*Archiv für österreichische Geschichte 78, 1892*).

HUBER A., Die Erwerbung Siebenbürgens durch Kaiser Ferdinand I im Jahre 1557 und Bruder Georgs Ende (*Archiv für österreichische Geschichte 75, 1889*).

JASNOWSKI J., Chodkiewicz Hieronim (*PSB*).

JASNOWSKI J., Mikołaj Czarny Radziwiłł (*Rozprawy historyczne Tow. Nauk. Warszawskiego, 1939*).*)

JASNOWSKI J., Działalność antytrynitarzy włoskich w Polsce za czasów Zygmunta Augusta (1557-1564) (*Księga pamiątkowa ku czci O. Haleckiego, Warszawa 1935*).

KLETTKE-MENGEL I., Die Sprache in Fürstenbriefen der Reformationszeit, Köln-Berlin, 1973.

KŁODZIŃSKI A., Stosunki Polski i Litwy z Inflantami przed 1556 r. (*Kwartalnik historyczny, 1908*).

KOT St., Opposition to the Pope by the Polish Bishops 1557-1560 (*Oxford Slavonic Papers 4, 1958*).

KOT St., Polacy w Bazylei za czasów Zygmunta Augusta. U źródeł polskiej myśli krytycznej XVI w. (*Reformacja w Polsce I, 1921*).

KOWALSKA-KOSSOBUDZKA H., Jana Łaskiego pojęcie Kościoła (*Odrodzenie i Reformacja w Polsce 10, 1965*).

KOWALSKA-KOSSOBUDZKA H., Działalność reformatorska Jana Łaskiego w Polsce 1556-1560, Wrocław-Warszawa-Kraków 1969.

KURDYBACHA Ł., Historia reformacji w Polsce. Stan badań i postulaty (*Reformacja w Polsce XI, 1953*).

LEPSZY K., Dominium maris Baltici Zygmunta Augusta (*Nauka i sztuka, 1946*).

LEPSZY K., Nowsza literatura polska dotycząca sprawy bałtyckiej XVI i XVII w. (*Przegląd historyczny XXX, 1932-33*).

MAŁŁEK J., Prusy Królewskie a Prusy Książęce, Warszawa, 1976.

MAŁOWIST M., Kwestia bałtycka w XVI i XVII w. w świetle nowszej literatury szwedzkiej (*Przegląd historyczny XXX, 1932-33*).

MORAWSKI K., Andrzej Patrycy Nidecki, Kraków 1892.

PRZYBOŚ A., ŻELEWSKI R., Dyplomaci w dawnych czasach, Kraków 1959.

SCHULTZE J., Die Mark Brandenburg, Bd. III, IV, Berlin 1968.

STUPPERICH M., Das Augsburger Interim als apokalyptisches Geschehnis nach den Königsberger Schriften Andreas Osianders (*Archiv für Reformationsgeschichte 64, 1973*).

STUPPERICH M., Osiander in Preussen 1549-1552, Berlin-New York 1973.

SUCHENI-GRABOWSKA A., Badania nad elitą władzy w latach 1551-62 (*Społeczeństwo staropolskie t. I, ed. A. Wyczański PWN, Warszawa 1976*).

SUCHENI-GRABOWSKA A., Monarchia dwu ostatnich Jagiellonów a ruch egzekucyjny, cz. 1, Ossolineum 1974.

WOTSCHKE T., Francesco Lismanino (*Zeitschrift der Historischen Gesellschaft der Provinz Posen, 18, 1903*).

WOTSCHKE T., Herzog Albrecht und Graf Raphael von Lissa (*Altpreussische Monatsschrift, 46, 1909*).

WOTSCHKE T., Eustachius Trepka. Ein Prediger des Evangeliums in Posen (*Zeitschrift der Historischen Gesellschaft für die Provinz Posen, 18, 1903*).

WOTSCHKE T., Stanislaus Ostrorog. Ein Schutzherr der Grosspolnischen Evangelischen Kirche (*Zeitschrift der Historischen Gesellschaft für die Provinz Posen, 22/1, 1907*).

WOTSCHKE T., Bestallung des Eustachius Trepka (*Deutsche wissenschaftliche Zeitschrift für Polen 29, 1935*).

WOTSCHKE T., Andreas Górka auf seinem Kranken- und Sterbebette (*Historische Monatsblätter für die Provinz Posen, 8, 1907*).

WOTSCHKE T., Stanislaus Lutomirski (*Archiv für Reformationsgeschichte 3, 1905-6*).

WOTSCHKE T., König Sigismund August von Polen und seine evangelischen Hofprediger (*Archiv für Reformationsgeschichte 4, 1906-7*).

ZEEDEN E. W., Calvins Einwirken auf die Reformation in Polen-Litauen im Spiegel der polnischen Korrespondenz (*Syntagma Friburgense. Historische Studien Hermann Aubin dargebracht, Lindau und Konstanz 1955*).*)

---

*) *Opera asterisco signata in Bibliographia ad volumina praecedentia addita iam adducebantur.*

## ABBREVIATIONES

| | |
|---|---|
| KUYPER II | Ioannis a Lasko Opera tam edita quam inedita, ed. A. Kuyper, vol. 2., Amstelodami, Hagae Comitum, 1866. |
| PSB | Polski Słownik Biograficzny |
| R.P. | Regnum Poloniae |
| WOTSCHKE, Lismanino | Francesco Lismanino (*Zeitschrift der Historischen Gesellschaft der Provinz Posen, Posen 1903, Jhg. 18*). |
| WOTSCHKE, Stanislaus Ostrorog | Stanislaus Ostrorog. Eins Schutzherr der Grosspolnischen Evangelischen Kirche (*Zeitschrift der Historischen Gesellschaft für die Provinz Posen, Posen 1907, Jhg. 22, B. 1*). |

# TEXTUS

# 1554

*N. 1425.*

*Koźminek, 5.I.1554.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*pro 4 falconibus et 12 canibus pro insectandis porcis silvestribus, sibi missis, gratias agit.*

*Sigill. Autogr.*
*Iam ed. Wotschke, Stanislaus Ostrorog II, p. 110-11.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1426.*

*Cnissini, 18.I.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio comitissae Hennebergensis; de finibus inter Ducatus Masoviae et Prussiae; de responso in rebus Lithuanicis ex Cancellaria Lithuana dando.*
*(Schedula adiuncta)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustris Dominae Comitis Hennebergensis [1] negotium, sicuti iam ante, quantum in me fuit, libenter egi, ita si deinceps mea opera ad eandem rem curandam vel ad alia forte quaepiam opus erit, eum me praestabo, ut Illustrissima Dominatio Vestra me sibi obsequentem addictumque cognoscat. Quod ad fines inter Masoviam et Prussiam constituendos attinet, si Sacra Maiestas Regia, Dominus meus clementissimus, per Commissarios rem nunc ante Comitia Regni confici posse putavisset, summa diligentia et celeritate literas ad eam rem necessarias conscribi curavissem. Interim tamen, ut ne ultra suos fines damno Illustrissimae Dominationis Vestrae Masoviae habitatores progrediantur, Illustrissima Dominatio Vestra perscribet, ad quos in Masovia Praefectos et ad quos praeterea homines Sacrae Maiestatis Regiae nomine literas edi oporteat.

Id enim quum cognovero, sine quavis procrastinatione Illustrissimae Dominationi Vestrae morem geram. De Lituanicis autem negociis ex Lituana Cancellaria Illustrissimae Dominationi Vestrae respondebitur. Quod ut fieret, agere instareque non gravatus sum. Illud enim ad alios, quam ad me, pertinet... Datum Knissinii, die XVIII Ianuarii, anno Domini DMLIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Vicecancellarius.[b]

*Schedula adiuncta:*

Post magnos tandem labores effeci, ut Illustritati Vestrae de rebus Lituanicis responsum daretur, esse scilicet rem ad Conventum Lituanorum reiectam. Id planius ex Cancellaria Lituana Illustritas Vestra debet cognoscere.

a)-b) *manu propria.*

1) *Elisabetha comitissa Hennebergensis, marchionissa Brandenburgensis.*

*N. 1427.*

*Brzeżany, 19.II.1554.*

*Nicolaus Sieniawski, palatinus Russiae, exercituum Regni campestris capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de filio sultani Turcarum, Musthapha, a patre strangulari iusso.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nunciavit michi, Illustrissime Princeps, Konarski,[1] cubicularius Tuae Celsitudinis ac sororius meus, de prospera et foelici Tuae Celsitudinis valetudine. Quae quidem fama ac relatio, ut correspondebat voto meo gratissimaque erat, sic etiam magno gaudio et leticia me affecit. Attulit michi quoque praefatus cubicularius litteras Tuae Celsitudinis, quae michi multis nominibus gratissimae fuerunt, nam testantur eximium favorem, benevolentiam et gratiam Tuae Celsitudinis erga me, servitorem Tuae Celsitudinis, ignotum quidem facie, sed tamen ad obsequia et servicia Tuae Celsitudini praestanda semper paratissimum et promptissimum. Porro gratulacio favorabilis et graciosa Tuae Celsitudinis, qua michi gratiam Regiae Maiestatis, Domini mei clementissimi, ac favorem et dignitatis accessionem Tua Celsitudo gratulabatur, est michi longe gratissima. Utinamque gratitudinem gratiae ac benevolentiae Tuae Celsitudini testari et declarare meis officiis et obsequiis aliquando possim, id assiduis opto votis.

Porro novarum rerum, Illustrissime Princeps, quas Tuam Celsitudinem latere putarem, in presentia nichil habeo. Nam quae in authumno contigerunt in Thurcia, ea puto Tuae Celsitudini iam diu nota esse. Quod si forsan nondum innotuerunt, ea paucis significaturus sum. Tur-

cicus tirannus,[2] non contentus immani crudelitate in christianos, quorum reliquias crudelissime devorare nititur, sed etiam proprio sanguini non parcit. Nam filium primogenitum nomine Musthapham, suspectum et accusatum de cupiditate imperandi, implacabili furore percitus, laqueo strangulandum mandavit. Aiunt autem, quod praefatus Musthapha magno odio prosequebatur Rosthembassam,[3] qui habet filiam Caesaris. Quare Rostembassa, timens aliquando tirannidem Musthaphae, sepe minitantis sibi perniciem, accusabat eum apud Caesarem affectati Imperii. Interea tirannus Turcicus aestate preterita cum ingenti exercitu profectus est in Siriam, inde iturus contra Persam. Et cum moraretur in Siria, in loco nominato Halep, nunciatum est ei de adventu filii Musthaphae cum viginti quattuor millibus armatorum. Quare Rosthembassa, nacta occasione, acrius accusare cepit Musthapham, cum exercitu advenientem ad contorquendum Imperium patri. Quod haud difficile praestare posset, habens Janiczaros fautores et sibi addictissimos.

Tirannus credidit accusationi, sive illa vera sive falsa fuerit, et dissimulata ira contra filium, molitur ei insidias mittitque ad eum, qui blando sermone invitarent, ut citissime ad se cum paucis veniret, se velle cum eo consilium inire de ratione inferendi belli Principi Persarum.[4] Musthapha, nichil suspicans fraudis, proficiscebatur ad patrem. Quem venientem non admisit tirannus ad se, sed mandavit laqueo suffocandum. Janiczari autem, cum per aliquot dies non conspiceretur Musthapha, coeperunt tumultuari, cumque intellexerunt Musthapham periisse, ad sedicionem concitabantur. Quos aegre placavit tirannus. Et quo facilius placarentur animi militum exacerbati, abstulit a Rosthumbassa dignitatem et in alium contulit, ablegavitque eum Constantinopolim. Quid vero cum eo facturus sit, ignoratur.

Caeterum amici Musthaphae, cognita morte eius, arrepto filio Musthaphae fugerunt in Persiam aut, ut alii dicunt, ad Caput Viride. Aiunt quoque filium Caesaris gibbosum, quem suscepit ex posteriore uxore Polona, venisse ad patrem et conquestum esse de crudelitate, quam exercuit in Musthapham, filium seniorem, Imperii successorem idoneum. Nec iam restare ex filiis eius successorem, Imperio dignum. Et eam ob rem, post mortem Imperatoris, ruiturum Imperium et familiam illam Ottomanorum collapsuram. Hanc filii exprobracionem iniquo tulit animo tirannus. Filius vero, videns furorem patris discedensque a conspectu eius, tristis et exacerbatus, dicitur sibi ipsi mortem conscivisse. Hanc thraicam [z] historiam, Illustrissime Princeps, paucis exposui. Ex qua videmus magnam et ineffabilem Dei gratiam et favorem erga christianos, quibus crudelis Musthapha extremam perniciem et exitium minitabatur, quam primum imperare coepisset.

Utinam christiani Principes, agnita divina ac stupenda providentia in morte crudelissimi tiranni et vastatoris futuri christianorum, si non fuisset morte preventus, Deo Patri clementissimo gratias agerent pro admiranda eius longanimitate, qui imminentem vastitatem, peccatis nostris iusto eius iudicio debitam, benigne suspendit et distulit penas, orbis vastatorem extirpans funditus et delens. Et facxit [z] Deus, ut christianorum precipua capita, sublatis inter se odiis ac intestinis exicialibus bellis, communi consensu et viribus coniunctis eripiant tot millia christianorum, gravissima servitute a Turcis oppressa, et reliquias christianorum, in extremo periculo constitutas, viriliter defendant et pro officio suo protegant. Sed ne tedium pariam Tuae Celsitudini, Princeps Clarissime, molesta prolixitate, finem faciam, ac quae hic intermisi causa brevitatis, ea

oretenus Tuae Celsitudini significanda sororio meo iniunxi. Quem gratiae et favori Tuae Celsitudinis commendo, nichil dubitans Tuam Celsitudinem etiam mea causa sororium meum favore et gratia prosecuturam... Datum ex Brzezani, 19 Februarii, anno Domini 1554.

Tuae Illustrissimae Celsitudinis
addictissimus servitor
Nicolaus a Szieniawa, Pallatinus Generalis Terrarum Russiae, Exercituum Regni Campestris, Haliciensis et Colomiensis Capitaneus.

z) *sic in ms.*
1) *Marcellus Konarski.*
2) *Solimanus II.*
3) *vel Rustan bassa.*
4) *Tahmasp I Sophi.*

*N. 1428.*

*Lublini, 3.III.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*exemplum litterarum, a rege Romanorum [Ferdinando I] de Elisabetha marchionissa Brandenburgensi et comitissa Hennebergensi ad regem Poloniae missarum, transmittit. (Cfr. litteras regis Romanorum de eadem re ad Catharinam reginam Poloniae, El. XXXI, N. 631a).*

*Sigill.*

*(Annexum deest)*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1429.*

*Stobnica, 15.III.1554.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de raptu virginis Elisabethae Ostrogska, per Demetrium Sanguszko perpetrato, et de captivitate sua, quam eam ob causam in Bohemia perpessus est.*
*(Schedula adiuncta)*

*Sigill.*

*Iam in parte ed. in: H. Ehrenberg, Ein Beitrag zur Geschichte von Beata und Halszka. Zeitschrift der Historischen Gesellschaft für die Provinz Posen, Posen 1893.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Quamvis et prioribus temporibus nihil dubitabam, Clementiam Vestram gratia sua singulari me semper prosequutam esse, verumtamen

ea ipsa gratia Clementiae Vestrae, quam perpetuis servitiis meis assequi mihique conciliare conabar, nunc apud me perfectius declarata est. Perspitio enim Clementiam Vestram, cum ex scriptis Clementiae Vestrae ad me datis, tum et ex dictis multorum, non tantum me ipsum, sed et filium meum, iam in album servitorum suorum assumptum, gratia singulari clementiaque prosequi ac prosequuturam polliceri. Quibus perspectis, gratias Clementiae Vestrae, ita ut par est, si verba suppeterent animo, agere conarer. Sed si vera potius, quam dictu spetiosa, dicenda sunt, intelligo prorsus me nec tam esse disertum, nec tanta facundia preditum, ut dignas Clementiae Vestrae agere queam gratias. Daturus tamen sum sedulam operam, ut, si qua ex parte tantam clementiam gratiamque singularem Illustritati Vestrae promereri potero, nihil servitiorum sim unquam praetermissurus, Deum simul assiduis precibus sollicitando, ut ipsius divina Maiestas Clementiam Vestram salvam et incolumem conservare tuerique dignetur.

Caeterum significavit mihi scriptis suis filius meus,[a] servitor Clementiae Vestrae, indigere quatuor equis, quibus serviat in aula Clementiae Vestrae, ad idque accedere voluntatem et mandatum Clementiae Vestrae. Quod quidem mihi incertum est, num haec sit voluntas Clementiae Vestrae. Gaudere enim solet plerumque iuvenilis et puerilis aetas equis. Intellexi quoque, cum eundem filium meum Clementiae Vestrae Cracoviae commendaveram, Clementiam Vestram nolle permittere ipsius puerili aetati equos aptos ad serviendum in aula Clementiae Vestrae alere, verumtamen si visum fuerit Clementiae Vestrae, equos, et quae sint ipsi habenda, transmittam, solutus his negotiis curisque, quibus nunc obrutus sum.

Quamvis arbitror Clementiam Vestram non latere negotium de Demetrio Rutheno, qui vi rapuerat Elisabetam, filiam olim Ducis Illiae de Ostrog, tamen, cum isthuc mitterem, omittere nequivi hoc negotium scriptis meis Clementiae Vestrae significare.

Demetrius dictus Sanguskowicz cum Duce Vasilone, patruo raptae puellae, cum per fraudem Demetrii praefati fecissent violentem impetum in arcem Ostrog, victis famulis, propugnatoribus arcis, obtinuerunt arcem. Virgo per Demetrium rapta, mater ipsa virginis, Domina Beata de Cosczielecz, ex arce pulsa, tesaurus ingens ablatus, arx ipsa Ostrog obsessa. Tandem cittati coram Sacra Regia Maiestate per literas Vasilonis[a] causa et litis protestatio suspensa est. Demetrius autem in termino cittationis non comparuit. Propterea ob non paritionem proclamatus et proscriptus est, ob raptum autem violentem neci damnatus est. Cum autem Demetrius certior factus fuisset tale decretum esse a Sacra Regia Maiestate contra ipsum latum, fugit (praeter spem nostram) noctu diuque in Silesiam, una cum rapta vitiata virgine.

De quo certior factus, postpositis omnibus rebus, iussu Sacrae Regiae Maiestatis, Domini mei clementissimi, tum etiam permotus orbitate et lachrymis victus matris raptae puellae, assumptis mecum duodecim equis, relictis curribus, festinabar ipsum consequi. Iam autem praecedebat[b] ante me triginta quatuor milliaria. Sed cum dictus Demetrius sperasset se esse tutum in Regno Bohemiae, consequutus sum ipsum quinto die ipsumque[z] in civitate Lise[1] (quatuor milliaria distat a Praga), noctu ad oppidum dictum veni (non erat enim occlusum nec muro cinctum oppidum). Demetrius vero, iam illucescente die, surrexit e somnis[a]

descenditque ad hipocaustum, rapta vero puella remansit superne in conclavi. De quo certior factus, feci sine cunctatione in ipsum impetum facileque ipsum comprehendi, comprehensum autem et ligatum, assumptis omnibus rebus ipsius una cum puella rapta, proficiscebar revertebarque in Poloniam. Demetrium autem praefatum ducebat quidam scriba Ducis de Else [2] in Silesia. Is, cum prehendissem Demetrium, fugam dedit pervenitque in Pragam, ibi Consiliariis Bohemiae, qui locum tuentur regium, exposuit falsa, me prehendisse quendam Ducem, e Regno Poloniae proficiscentem, sine ulla causa, affirmabatque idem coram Consiliariis Bohemiae, Demetrium dictum ter centena millia florenorum in auro secum habuisse.

Itaque Domini Consiliarii in Praga illico miserunt ad civitatem Jaromirs,[3] ut me in civitate, portis et ianuis clausis, detinerent. Quod et fecerunt, cum inscius venissem ad dictam civitatem Jaromirs, me detinebant captivumque prorsus per 4 septimanas [a] servabant in diversorio meo, custodibus undique additis. Misi tandem Dominum Palatinum Lancitiensem,[4] cum ad me venisset cum fratre suo, Pallatino Siradiensi,[5] ad Regem Romanorum, ut me liberum dimitteret. Quamvis alia curabat Palatinus Lancitiensis, effecit tamen, quod Rex Romanorum decretum tulerit me absente, non auditis meis propositionibus aut responsis, tanto locorum intervallo, ferme 40 milliaribus, ut ego, priusquam dimitterer, restituerem filiam olim Ducis Illiae Dominis de Cosczielecz, Lancitiensi et Siradiensi Palatinis, cum omnibus rebus, quae [z] cum Demetrio acceperim. Demetrius autem hac die, qua ingressus eram civitatem Jaromirs, obiit, videlicet tertia die Februarii. Venit deinde Palatinus Lancitiensis a Rege Romanorum, advenerunt et ipsius duo Consiliarii. Quarta die Martii publicaverunt regium decretum in scriptis, sub sigillo regio. Continebat quoque decretum hoc in se, ut me inscriberem nunquam velle vindictam exercere. Sed si iustum decretum latum fuisset, non necessum erat me inscribi pro pace servanda. Astringitur enim pax servari, ubi quicquam iniuste agitur etc.

Verum inde constat, quo amore ipse Rex, quove studio ipsius Consiliarii prosequuntur Sacram Regiam Maiestatem, Dominum meum clementissimum. Quaerebatur enim omni ex parte occasio, ut diutius detinerer et, ut opinor, etiam capite plecterer. Cum tamen hoc observabam, ut a me nihil iniustum aut contra quodvis ius ageretur, quod et ipsum Regem Romanorum et quemvis dominatorem gentium, cum recta ratione actus meos perpenderit, fassurum scio, me nullam ansam huius detentionis et captivitatis meae unquam prebuisse, quam perpessus sum ad diem usque quartam Marcii. Faxit Deus, ut nunquam obsecrem Regem Romanorum pro administranda iustitia!

His me servitiaque mea paratissima Clementiae Vestrae humilime commendo. Datum in Stobnicza, XV Martii, anno Domini MDLIIII.

Eiusdem Clementiae Vestrae servitor perpetuus
obsequentissimus Martinus Zborowski, Palatinus
Calisiensis, Sidloviensis etc. Capitaneus.

a) *in ms. in margine*
b) *in ms.* praedecebat
z) *sic in ms.*
1) *Lissa ad Albim.*
2) *Oels, Oleśnica.*
3) *Jaroměř.*
4 *Andreas Kościelecki.*
5) *Ianussius Kościelecki.*

*Schedula adiuncta:*

Hanc causam detentionis meae Rex Romanorum praeferebat: me in terram Regnumque pacificum et tranquillum irruisse. Cum tamen dictum Demetrium non prehenderim, nisi cum consensu et permissione Capitanei loci civitatisque offitio. Permisit enim Dominus Capitaneus civitatis Lisse dictum raptorem[a] prehendi famulumque suum ad prehendendum, una cum famulis meis, misit.

a) *in ms.* raptor

*N. 1430.*

*Lublini, 21.III.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro salutationibus et pro munere, per oratores ducis sibi allatis, gratias agit et obsequia offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1431.*

*Lublini, 21.III.1554.*

*Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sądecensis, R.P. thesaurarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de modis et locis annui stipendii duci persolvendi.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A. B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ex litteris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, proxime ad me scriptis, intellexi instare tempus, quo annuum stipendium, a Sacra Maiestate Regia, Domino meo clementissimo, Illustrissimae Celsitudini Vestrae asignatum, numerari consuetum erat. Ac ob id Illustrissimam Celsitudinem Vestram postulare, ut pro festo Paschae per manus Consiliariorum Celsitudinis Vestrae ad eam mittatur. Quod sane ego, pro mea erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia, lubens fecissem, si res haec in me solo constitisset. Siquidem post aliquod meas apud Maiestatem Suam admonitiones Maiestas Sua respondit se adhuc non prorsus constituisse, utrum hinc ex thezauro Maiestatis Suae, an vero istinc a Magnifico Domino Stanislao Kostka de Stemberg, Palatino Culmensi, Illustrissimae Celsitudini Vestrae stipendium hoc mitti debeat. Proinde res commode absolvi in tanta Consiliariorum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae

festinatione, his praesertim diebus sacris, non poterat. Sed utcunque est, ego, quam primum aliquid certi a Maiestate Sua in hac re intellexero, litteris meis primo quoque internuntio Illustrissimae Celsitudini Vestrae indicabo ac operam diligentem dabo, ut primo quoque tempore stipendium Illustrissimae Celsitudini Vestrae numeretur. Cuperem enim omni obsequiorum genere animi mei studium Illustrissimae Celsitudini Vestrae testatum facere... Lublini, XXI Marcii, anno Domini MDLIIII.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servitor
Spitek Jordan de Zakliczin et in Melstin,
Castellanus Sandeczensis, Regni Poloniae Thezaurarius
Generalis, Praemisliensis Camionczensisque Capitaneus,
manu propria subscripsit.

*N. 1432.*

*Lublini, 21.III.1554.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*oratoribus ducis omni studio se adfuisse significat.*

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1433.*

*Piastów, 15.IV.1554.*

*Andreas Sieprski, palatinus Ravensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*commissarium regium se nominatum esse nuntiat in negotio regundorum finium et rogat, ut dux, die commissionis statuto, commissarios suos mittat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Naiasnieisze a Milosczive Kxiąze *etc.*

Virozumialem Commissia y roskazanie Iego Kroliewskiei Miloszczi, moiego Milosczíwego Pana, isz mnie Iego Kro. Miloscz, moi Milosczivi Pan, vespolek s panem Zakroczimskim [1] y s panem Viszegroczkim [2] raczil przileczicz concommissarzmi ku Iego M.iczi Kxiedzu Biskupowi Ploczkiemu [3] y thesz panu Voievodzie Ploczkiemu, [4] ku uczinieniu granicz miedzi ziemia Iego Kroliewskiei M.iczi Mazoveczką [a] a Kxiestwem Vaszei Kxiazeczei M.iczi Pruskim. Thedi, Milosczíwę Kxiąze, cziniącz dossicz

Commissii a roskazaniu Iego Kroliewskiei M.iczi, moiego M.iczivego Pana, y thesz chczancz szie V. Książeczei M.iczi, moiemu M. Panu, w them zachovacz, rad prziade ku thei spravie granicz. A wszakosz kiedi szie s Ich Milosczlami Kxiedzem Biskupem y s Panem Voievodą Ploczkim y s inemi Concommissarzami vespolek rozmovim, thedi V. Książeczei M.iczi nie omieskami wszisczi dnia pewnego y mieiscza oznaimicz, skand szie bandzie miala poczacz ta sprava granicz. A potem, kiedi to V. Książeczą Miloscz viedziecz bandzie raczil, thedi V.K.M. ku nam, Commissarzom Krolia Iego M., Commissarze swoie poslacz bandzie raczil... Piszan w Piastowie, w niedzielie, ktorą zovą Iubilate, liata Panskiego 1554.

Vaszei Kxiazeczei Milosczi povolni sluzebnik

Iendrzei Sieprski s Golczewa
Voievoda Rawski.

a) *hic in margine*: Burg Rugieque
1) *Alexander Iłowski.*
2) *Adam Wilkanowski.*
3) *Andreas Noskowski.*
4) *Felix Srzeński.*

*N. 1434.*

*Rzewnin, 22.IV.1554.*

*Adam Wilkanowski, castellanus Vissegrodensis*
*Alberto in Prussia duci*
*se commissarium ad negotium regundorum finium inter Ducatus Masoviae et Prussiae a rege nominatum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Nayashnieyshe Milosczíwe Kxiąnze *etc.*

Nayashnieyshe M.cziwe Kxiąnze, raczilesz Wassha Kxiąnzenczia Miloscz hoznaimicz mi przes listhi szwe wolyą hy roskazanie Iego Krolyewskiey M.czi nassego Milosczíwego Pana, yzem thes iesth przes Iego Krolyewską Miloscz deputhowan ku ich m.czi drugym panum Commissarzum na granicze miedzi pansthwem Iego Krolyewskiey M.czi nashego M.cziwego Pana Mazoweskiem, ha miedzi[a] panisthwem Washey Kxiązenczey M.czi Pruskim. A thak gya iesthem gothow czinicz dossicz roskazaniu Iego Kroliewskiei M.czi naszego Milosczíwego Pana, hy da-li Pan Bog sdrowye, nyeomiąskam sgyachacz k themu, gdy szie s ich milosczyą pani Commissarzmi drugiemi smowye na czass slussny... Z Rewnina, 22 Aprilis anno Domini 1554.

Vassey Xyązenczey Hosswieczonosczi, mego Milosczywego Pana

powolni sluszebnik
Adam Wilkanowski, Castallian
Vissegroczki, starosta Cziechanowski.

a) *in ms.* miedzil.

*N. 1435.*

*Poltoviae, 26.IV.1554.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de loco et tempore, conventui commissariorum ad regundos fines inter Ducatus Masoviae et Prussiae designato.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1436.*

*Parczów, 26.IV.1554.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*negotium sibi a duce commissum se diligenter apud regem sollicitasse nuntiat, item officium in causa viduae a ducissa et filia ducis sibi commendatae libenter se praestitisse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Quod mihi Celsitudo Vestra Illustrissima tam honorificis verbis agit gratias, in hoc ego non aliud quam clementiam eiusdem erga me agnosco. Nam pro fide et observantia mea erga eandem id, quidquid per me obsequii[a] praestatur, videtur perexiguum, neque in hac parte mihi ipsi satisfacio. Id tamen gratum Celsitudini Vestrae esse, magnas habeo gratias. Cum primum autem mihi ab Illustrissima Celsitudine Vestra redditae essent literae, solicitavi negotium mihi per eandem commissum apud Maiestatem Regiam, quae non gravatim literas scribi ad Magnificum Dominum terrarum Prussiae Thesaurarium[1] mandavit. Eas Celsitudini Vestrae, manu Maiestatis Suae subscriptas, mitto, in omnibus rebus, quae per me confici poterunt, pro ea, qua Celsitudinem Vestram prosequor observantia, lubentissime gratificaturus.

Quod vero gratum fuisse offitium meum, quod pro vidua Hermesdorffen apud Maiestatem Regiam praestiti Illustrissimis Principibus coniugi et filiae Celsitudinis Vestrae, eadem scribere dignantur, faciunt id pro innata sua benignitate, eoque adeo me sibi devinctum reddunt, ut ad obsequia Suis Illustritatibus praestanda sponte currentem magis incitent... Datum in oppido Parczow, XXVI Aprilis, anno Domini MDLIIII.

[b] Vestre Celsitudinis servitor addictissimus
Ioannes Oczieski.[c]

a) *in ms.* obsequi
b)-c) *manu propria.*
1) *Stanislaus Kostka.*

*N. 1437.*

*Brestae in Lith., 1.V.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de annuo stipendio duci ex thesauro regio Prutheno persolvendo.*
*(Schedula adiuncta)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Tabellarius Illustrissimae Dominationis Vestrae quum Magnificum Dominum Regni Poloniae Cancellarium,[1] collegam meum, et me Parczowii offendisset literasque de stipendio annuo nobis reddidisset, coniuncto unanimi studio, cum Sacra Maiestate Regia nobis agendum et ab ea petendum esse putavimus, ut Illustrissimae Dominationi Vestrae stipendium hoc sine mora numerari iuberet, effecimusque, quod commodius fieri posse videbamus, ut Sacra Maiestas Regia de suo thezauro Pruteno Magnificum Dominum Prussiae Thezaurarium[2] solvere iam iusserit. Quas quidem literas tabellarius Illustrissimae Dominationis Vestrae a Magnifico Domino collega meo acceptas habet, neque dubito ita, ut Sacra Maiestas Regia iussit, factum iri. Aliis etiam omnibus in rebus Illustrissimae Dominationi Vestrae obsequia mea totis viribus probare contendam, quae nunc quoque illi utenda gratoque animo accipienda diligenter commendo. Datum ex Brzesczie Lituanico, Calendas Maii, anno Domini MDLIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Ocieski* 2) *Stanislaus Kostka.*

*Schedula adiuncta:*

Mitto etiam Illustritati Vestrae litteras, Sacrae Maiestatis Regiae nomine ad Serenissimum Dominum Romanorum Regem [*] pro Illustri Domina Elizabeta Marchione et Comite Hennebergensi studiose sane et diligenter scriptas.

*) *litterae desunt.*

*N. 1438.*

*Brestae in Lith., 3.V.1554.*

*Spytek Jordan de Zakliczyn, castellanus Sądecensis, R.P. thesaurarius generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*regem constituisse notificat, ut debitum duci annuum stipendium a palatino Culmensi ipsi numeretur.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Reddideram antea Vestram Illustrissimam Dominationem litteris certiorem de Serenissimi Regis nostri, Domini mei clementissimi, deli-

beratione, sin ex thezauro Sacre Maiestatis Suae vel aliunde annuum stipendium Vestrae Illustrissimae Dominationi numerari debeatur. Cum autem Illustrissimae Dominationis Vestrae voluntate fretus, id a Maiestate Regia sepenumero efflagitaverim, ut indicare velit, unde Illustrissimae Dominationi Vestrae solarium[z] hoc absque temporis prorogatione numeretur, Sua Maiestas Regia constituit a Magnifico Domino Kosthka,[1] Palatino Culmensi, stipendium hoc dari, litteraeque eidem missae sunt per cubicularium Vestrae Illustrissimae Dominationis. Peto itaque Illustrissimam Dominationem Vestram, ut meam in exequendis Vestrae Illustrissimae Dominationis negotiis operam aequi bonique consulat et ita persuasum habeat me ad quodlibet genus officii promptissimum Vestrae Illustrissimae Dominationi deditissimumque esse... Datum in Brzesczie, die 3 Maii, anno 1554.

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Celsitudinis servitor[b]
Spithek Jordan de Zakliczin et in Melszthin
Haeres, Castellanus Sandecensis, Generalis
Regni Poloniae Thezaurarius, Theloneorum
Maioris et Minoris Poloniae Praefectus, terrae
Przemisliensis Kamionacensisque Capitaneus,
[a] manu propria subscripsit.[b]

1) *Stanislaus.*
a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1439.*

*Świsłocz, 4.V.1554.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus generalis Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*nobilem Ioannem Łuknicki, in numero clientum ducis reputari cupientem, commendat.*

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1440.*

*Glinki, 21.V.1554.*

*Alexander Iłowski, castellanus Zakroczymensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de officialibus ducis, profugos fures et latrones in Ducatu latitantes restituere nolentibus, et de iniuria subdito regio, in eodem Ducatu detento, illata conqueritur.*

*Vest. sigilli.*
*(Adest versio germanica)*
*H B A, B 2, K.384.*

Naiasnieisse Miloscziwe Kxiąze *etc.*

Przy them, Miloscziwe Kxiązę, thak iako mi raczyl W.K.M. pisacz, abych nie omiasskal bycz na thę Commissią, ktorą Krol Iego Miloscz

raczyl dacz W.K.M. ku uczynieniu granicz miedzy pansthwem Iego Kro. M. a miedzy Xięsthwem W.K.M., Milosciwe Xiązę, poslalem z listhem swem ku Ich Milosczi Xiędzu Biskupowi Ploczkiemu[1] y panu Voievodzie,[2] aby my oznaimili, kiedy by chczieli wyechacz na the granicze, gdziem thesz Ich Milosczi pisal, aby tho Ich M. nieodwlocznie postanowicz raczyli, aby tho ku pręthkiemu skuthkowi przysslo, i oczekawam pacholięczia swego z listhy od Ich M., a gdy mi dadzą znacz, w ktory czas polozą, thedy ia thessz nie omiasskam wyachacz wedlie ządliwosczi W.K.M.

Przythem, Miloscziwe Xiązę, skarzę się przed W.K.M. na urzędniki W.K.M. Leczkiego i Stradunskiego, v kthorych we wsiach W.K.M., a w dzierzawie ich zasthano poddane moie, kthorzy mi z dlugami, zalogami i inssych wiele rzeczy pokradwssy, poucziekali. I slalem po nie do urzędnikow W.K.M. urzędniky i woithy swe, a oni mi ich wydacz nie chczieli. Zadny by zlodziei, Naiasnieissе Miloscziwe Xiązę, nie kradl ani ucziekl, gdyby nie mial gdzie by się zachować s them, czo ukradnie. Są thess u inssych urzędnikow W.K.M. drudzy poddani, nie thylko mogi, ale i bracziei moiei szliachthi nissei z Wiskiei ziemie i Lomzienskiei, kthorem się thesz wielkie krzywdy i szkody dzieią od nich, o ktore thess przed Iego Kro. M. skarzyly wespolek ze mną i iaką doliegloscz czierpiemy, thosmy Iego Kro. M. opoviedzieli na urzędniki W.K.M., prze nyewydawanie thych tho poddanych nassych przes urzędniki W.K.M., niewroczenie ich nam i iakąsmy odprawę od Iego Kro. M. wzięli, tho wiemy, ysz nam Iego Kro. M. roskazal poslacz w tych rzeczach a doliegloscziach nassich ku W.K.M., i iaką odprawe od W.K.M. wezmiem, tho zasię mamy oznaimicz Iego Kro. M. Czierpiem thy krzywdy, szkody oth thych poddanych swoych dlia niewydawania ich przes urzędniki W.K.M. Tho czyniem dlia laski W.K.M., a oczekawaiącz thego, abychom tho przodkiem na W.K.M. przelozyli, a nie thylko yzby nam w them szkodę czynily, czo ssobą pokradwssy y wiele rzeczy zawioswssy y zanioswssy, y zadluzywssy się uczieką, alie zasię wraczaiącz się z ziemie W.K.M., thedy nam y drugiem poddanem nassem wiele rzeczy z inssych kradną, koni i wolow; thak jakosmy tho i przedthem przed W.K.M. przekladali i skarzyli, a nigdysmy sprawiedlivosczi mieczi nie mogli, aczkolwiek mnie i inssei szliachczie z Wiskiei i Lomzienskiei ziemie, gdysmy slali ku W.K.M. o thakowe krzywdy, raczyl W.K.M. dawacz listhy swe do urzędnikow swoich, aby nam poddane nasse zbiegle wydawali. Oni się mnie y inssem bracziei moiei thak zawzdy wymawiali i thak nas odprawowali, isz mieli ynssą naukę od W.K.M., iako Heidyk[3] i inssy, czo tho zawzdy wyznaią nassy poslowie, kthoresmy do nich slali, gdy na tho przydzie, a wssakozesmy tho wssythko czierpieli, maiąncz tho uffanie, iss W.K.M. maiącz na dobrem baczeniu contrakth, kthory W.K.M. uczynicz raczyl s Krolem Iego M. swięthei pamięczi, isz poddani zbiegli z obu stron między pansthwem Iego Kro. M. a miedzy xięsthwem W.K.M., mieli bycz wydawani kazdemu, gdzieby tego swego zastal a sprawiedliwosczi s niem ządal. Thess tho maiącz na pamięczi, isz W.K.M. iesth xiązecziem a panem chrzesczianskiem, gdzieby się W.K.[M.] sthalo czo thakowego sthalo,[z] thedy W.K.M. wiele o them pisacz i dochodzicz thego raczysz, isz W.K.M. mussi skuthecznie sprawiedliwoscz sthacz w kazdei rzeczy i dobrze tho W.K.M. rozumiecz y wiedziecz raczysz, isz tho iesth rzecz powinowatha, aby kazdy czlowiek na swieczie mial tho, czo iesth iego sprawiedliwe, to iesth sprawiedliwoscz swiętha, a poniewasz isz my, pod-

dani Iego Kro. M., będącz[a] sąsiady przyleglemi W.K.M., kthorzy thakowe krzywdy y szkody czierpiem od urzędnikow W.K.M., maiącz tho powinowaczthwo i posthanowienie z Wassą K.M., zesmy wssythczy winni s Krolem Iego M., panem swem, przecziwko kazdemu nieprzyaczelowi W.K.M. byczi y W.K.M. bronicz, tho ia przypussczam wysokiemu rozumowi a baczeniu W.K.M., iakiego bychom sercza musili bycz przecziwko W.K.M. za thą zalosczią a krzywdami swemi, gdzieby się nam nie sthala sprawiedliwoscz, kthorei dawno ząndami a mieczi nie mozemy a snasczi bychom podobno, czego Panie Boze uchowai, musili czo inssego przedsięwziączi a krzydw i szkod swoich inaczei dochodzicz, kthore się nam dzieią.

Są thess u ynssych urzędnikow W.K.M. drudzy poddani mogi y ynssei szliachthy bracziei moiei z Viskiei i Lomzienskiej ziemie, o kthorich wyemy, alem iessceze do nich nie slal, rozumieiącz themu, izby mi się thakowasz sprawiedliwoscz z braczią moią sthala od nich, iako i oth Leczkiego i Stradunskiego, a przetho ku W.K.M. posylam i s them listem, ktory mam od Iego Kro. M., prossąncz iakosz tho mego Milosczìwego Pana, aby W.K.M., pamięthaiącz przodkiem na sprawiedliwoscz swięthą powinowatą i na listh Iego Kro. M. i insse rzeczy, kthorem W.K.M. wyssei wypisal, raczil W.K.M. roskazacz i daczi listhy thakowe do wssythkich urzędnikow swoich, aby nam iusz nieodwlocznie a skuthecznie wydali poddane nasse zbiegle, kthorzy nam szkody wielkie poczynili y okradwssy pouczlekali, a iszby się iusz nie wymawiali inssemi listhy i nauką W.K.M., abowiem czi od nas nie uciecze zadny dobry, yedno then, ktory czo zlego zbroi abo ukradnie. A thesz urzędniczy W.K.M. mogą osadziczi Kxięsthwo W.K.M. liudzmi dobremi cznothliwemi, a nie zlodzieimi nassemi, ktorzy nam thakowe szkody czynią. A inaczei thego zadny rozumiecz nie moze, iedno isz maią porozumienie a zmowę z urzędniki W.K.M., gdy ich nam thak nie chcą wydawacz, podobno isz thego maią pozythek dobry.

Oznaimiam thess tho W.K.M., memu Milosczìwemu Panu, ysz theras w pansthwie W.K.M. ieden urzędnik W.K.M. z iednego zamku s poddanem Iego Kro. M. czyni sobie sprawiedliwoscz thak, iako iego volia. Then poddany Iego Kro. M. iachal do Prus upominacz się dlugu do poddanego W.K.M., kthory mu byl winien. On mu nie mial czem zaplaczicz, ale mu zaplaczil rybami, on ie od niego wziąl od niego[z] a nie viedzial thego, aby tham bylo nie wolno kupowacz ryb, choczia za dlug wziąl. Dowiedziawssy się thego on urzędnik W.K.M., poimal onego poddanego Iego Kro. M. i osadzil do zamku a chcze go o gardlo przyprawic. I wssythko mu zabral, czo przy niem zastal, poniewasz on iako czudzoziemiecz nie s thego kxięsthwa, podobniei bylo onego poddanego W.K.M. karacz, iesli czo winien. Tho ia przipussczam W.K.M., iako panu chrzesczianskiemu a baczenemu sprawiedliwemu ku rozeznaniu. Sami sobie sprawiedliwoscz czynią a my iei dawno zebrzemy[b] a othrzymacz nie mozemy. A thak prossę y z braczią swą, iakom wyssey pisal, aby W.K.M. raczyl nam yuss thę laskę okazacz, iako bychom yuss poddane swoie mieli, abowiem, Naiasnieisse Milosczìwe Kxiązę, są tho rzeczy obczięzliwe. Ktho swego spraviedliwego miecz nie moze, iako themu W.K.M. dobrze rozumiecz raczyss, a prossę iako swego Milosczìwego Pana, aby mi W.K.[M.] i bracziei moiey oznaimicz raczyl, iaką mamy nadzieię mieczi w sprawiedliwosczi swei, abychom umieli oznaimicz Iego Krolewskiei Milosczi, iaką nam W.K.M. sprawiedliwoscz uczynicz raczysz. Y themu dobremu czlowieku, kthory theras thy listhy W.K.M. odda, uczieklo mu szescz poddanych, okradwssy go i są

u urzędnika Stradunskiego, a wroczicz mu ich nie chcze, a on sam na then czas byl na seimie w Liublinie. Tho W.K.M. racz obaczycz wielkie krzywdy nasse a doliegloszczi... Datum in Glinki, feria secunda in crastino festi Sanctissime Trinitatis, anno Domini 1554.

W.K.M. sluzebnik powolny

Alexander Ilowsky
Castelan Zacroczimsky.

a) *hoc verbum repetitur.*
b) *lectio incerta, foramen in charta.*
z) *sic in ms.*

1) *Andreas Noskowski.*
2) *Felix Srzeński.*
3) *Volfgangus ab Heideck.*

*N. 1441.*

*Vilnae, 25.V.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de stipendio duci procurato; de rebus Lithuanicis ad Comitia usque dilatis.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

De stipendio procurato, quod operam meam Illustrissimae Celsitudini Vestrae gratam esse inteligo, tametsi magna alioqui cum alacritate omnia, quae mihi adhuc curae esse voluit, suscipere atque exequi consueverim, tamen maiore eciam ac maiore studio ad deserviendum illi eo ipso me accendi experior, idque ita esse Illustrissima Celsitudo Vestra in omnibus, quae mihi porro mandaverit, re ipsa cognoscet. Nunc quidem quod ad res Lithuanicas attinet, diligenter curavi. Sed quod de illis, non nisi presentibus omnibus Ducatus istius Ordinibus, Sacra Maiestas Regia dicat statui posse, nihil hoc tempore effectum, sed ad Comicia res dilata est. Ac non pretermittam equidem illo tempore Sacram Maiestatem Regiam earum iniuriarum, quas sibi et suis Illustrissima Celsitudo Vestra fieri queritur, admonere, nihilque dubito racionem ipsius eam, quam par est, habitum iri. Videretur autem Illustrissima Celsitudo Vestra recte esse factura, si ad ipsum Comiciorum Lithuanicorum tempus Sacram Maiestatem Regiam per literas denuo earundem rerum admonuerit. Quod reliquum est, Illustrissimae Celsitudini Vestrae iterum observanciam meam et deserviendi studium ita defero, ut inde vel maxime in gracia me apud ipsam esse, si opera mea uti perrexerit, sim rediturus... Datum Vilnae, die XXVa Maii, anno Domini MDLIIII.

a) Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae Vicecancellarius
subscripsit.b)

a)-b) *manu propria.*

*N. 1442.*

*Vilnae, 29.V.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de exercitu Prussiae imminente; de argento importando et de cudenda moneta.*
*(Schedula adiuncta de matrona quadam Bohemica sibi commendata).*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Esse me apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram in gratia inde vel maxime intelligo, quod quoties ea ad Sacram Maiestatem Regiam scribit, toties me quoque litteris suis dignari non intermittit. Itaque omnia ea, quae mihi curanda committit, et summa cum alacritate suscipio et, quanta maxima adhiberi potest, diligentia ac studio exequor, exequique deinceps semper constitui.

Nunc quidem quod ad eius exercitus conatus comprimendos attinet, quem Illustrissima Celsitudo Vestra Prussiae imminere significavit, quae fieri potuerunt curavi, ut sine quavis procrastinationis mora ex Illustrissimae Celsitudinis Vestrae sententia fierent. Misse quippe sunt ad Serenissimum Dominum Romanorum Regem Sacrae Maiestatis Regiae litterae, tanquam eum, qui controversiae, quae inter Magistrum Ordinis et Regnum hoc est, arbitrium suscepit. Misse aliae ad Senatores Regni, ut suam de singulis sententiam perscriberent, mandatum preterea Capitaneis est Pomeraniae Posnaniaeque finitimis, ut contra omnem vel vim vel fraudem hostium iam in tempore instructi cum iis, quibus praesunt, munitique essent.

De aliis autem, videlicet de argento importando deque moneta cudenda, quam primum Senatores Regni suam Sacrae Maiestati Regiae sententiam perscripserint, Illustrissimam Celsitudinem Vestram faciam certiorem et, quantum in me erit, Sacrae Maiestati Regiae author ero, ut Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ipsiusque adeo, de qua simul agitur, Reipublicae in iis ipsis, quoad fieri possit, ratio habeatur... Datum Vilnae, XXIX die Maii, anno Domini MDLIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Schedula adiuncta:*

De matrona Boemica non memini Illustrissimam Celsitudinem Vestram mihi antea quicquam mandare, itaque nullum ea de re responsum me accepisse possum affirmare. Quia vero propediem Sacra Maiestas Regia ad Serenissimum Romanorum Regem missura est, constitui et Regiae et Reginalis Maiestatis literas ad eum et ad eius filium, Boemiae

Regem,[1] pro eadem matrona mittere atque omni ratione curare, ut cum ea matrona benigne et clementer agatur. Quod ut mihi facilius factu sit, nomen matronae et quid petat, mihi per literas primo quoque tempore curabit indicare.

1) *Maximilianus.*

*N. 1443.*

*Vilnae, 30.V.1554.*

*Lucas et Andreas a Górka*
*Alberto in Prussia duci*
*currum et equos cum auriga, a duce optatos, se ei libenter missuros fuisse nuntiant, si litterae ducis ante equos in Poloniam iam remissos pervenissent.*

*2 sigilla.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1444.*

*Tuszów, 1.VI.1554.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*providentiam et sollicitudinem ducis in significando periculo, terris Prussiae ex parte magistri Ordinis Theutonicorum in Livonia et ducis Brunsvicensis imminente, laudat et promittit se de hac re ad regem missurum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quae Illustrissima Dominatio Vestra de periculo invadendarum terrarum Prussiae a Magistro Theutonicorum [1] unaque Duce Brunsvicense,[2] qui paratos iam exercitus in promptu habent, ad me perscribere dignata est, satis intellexi. Quamvis autem ex literis quorundam ac ex rumore etiam publico ad me perlatum est Magistrum illum, una cum Duce Brunsvicense, exercitum illum adversus Illustrissimum Dominum Marchionem Albertum, a quo plurimis damnis et incommodis se affectos esse [a] ferunt, contraxisse et de opprimenda Illustritate Sua infestis animis cogitare, instinctu forsan et aliorum quorundam Principum, qui cum Domino Marchione simultates exercent, cum tamen in talibus rebus cautum esse magis sit viri sapientis, quam dicere non putaram, maximeque periculosum esse soleat pericula ipsa parvipendere et praevidere nolle eas res, quae aliquando nocere possunt, quod quidem nihil aliud est, quam se ipsum decipere, quapropter non potest hoc nisi vehementer laudari, quod Illustrissima Dominatio Vestra in talibus ac tam periculosis rebus caute ac prudenter agendum ac maturis consiliis obviam eundum

esse censet. Quod sane prudentissimi Principis est, siquidem praevisa (ut dici solet) tela minus nocent.

Ego vero, ut et Illustrissimae Dominationi Vestrae, pro mea erga eandem observancia, obsequar et officio quoque meo satisfaciam, evestigio servitorem meum una cum literis meis ad Regiam Maiestatem ablegaturus sum eamque, quantum potero, adhortabor et commonebo, ut Maiestas Sua istis periculis invigilare velit, nec Illustrissimam Dominationem Vestram et terras ac dominia sua hostili irruptioni ac violentiae exponat, sed eo magis tueatur atque expeditionem bellicam generalem Regni huius, quae fere iam prae manibus est, adversus hostium violentiam moveat. Quo quidem modo fieri poterit, ut hostis, audita ea expeditione ac Regiae Maiestatis providentia, a proposito deterreatur aut, si quid etiam moliri conetur, facile auxiliante Deo reprimatur ac repellatur. Sed ut Illustrissima Dominatio Vestra ipsa etiam sedulo ac diligenter sollicitare et Regiam Maiestatem in eo adhortari non desinat, isthoc inprimis opus est. De me porro Illustrissima Dominatio Vestra atque meo erga eandem obsequendi studio ne quicquam dubitet et sibi persuadeat velim, neminem alium magis ad obsequia Illustrissimae Dominationi Vestrae alacrem esse. Quam ut Deus diu incolumem servet, iterum atque iterum precor. Datae in Tuszow, prima die mensis Iunii, anno Domini MDLIIII.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
[b] servitor
Ioannes Comes in Tarnow subscripsit.[c]

a) *in ms. ese*
b)-c) *manu propria.*

1) *scil. in Livonia, Henricus a Galen.*
2) *Henricus.*

*N. 1445.*

*Emdae, 4.VI.1554.*

*Ioannes Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis se exspectare; de impedimentis sui ad ducem adventus prioribus litteris suis se iam duci scripsisse; responsum ducis in causa religionis se praestolari nuntiat; « brevem confessionem » suam mittit.*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed. Kuyper II, p. 700 sq.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum iter istuc suum ad Tuam Celsitudinem institueret Dominus Gnapheus, committere nolui, ut sine meis litteris ad Tuam Celsitudinem veniret. Et quanquam nihil fere habeam, quod litteris ad Tuam Celsitudinem dignum quoquomodo videri possit, tamen vel hoc tantum indicandum esse putavi Tuae Celsitudini, quod iam pridem sim in expectatione litterarum ipsius, cum ternas alioqui litteras iam dederim ad Celsitudinem Tuam. Audio vero Tuam Celsitudinem fuisse in expectatione adventus

istuc mei, adeoque et de aedibus mihi istic curandis fuisse etiam sollicitam, pro sua benignitate ac clementia. Quo sane nomine Tuae Celsitudini (ita enim rumor hic increbuit) ingentes gratias ago. Atqui sane toto meo animo in hoc propendebam, ut ad Tuam Celsitudinem potissimum venirem, sed prioribus meis litteris Tuae Celsitudini exposui, quid obstiterit, quominus id fecerim, aut etiam num mihi faciendum esse putem, priusquam de Celsitudinis Tuae voluntate certior fiam.

In causa religionis servus hominum esse non possum, posteaquam semel iugum huius servitutis, per Dei gratiam, excussi, praesertim dum ea, quae docentur, verbi Domini autoritate non video solide atque evidenter comprobari. Deinde hypocritam hac in parte etiam agere non possum, si quis meam sententiam requirat, paratus interim audire alios multo libentissime, denique et discere meliora, quae ex verbo Dei proferuntur. Haec quoniam non facile a plerisque ferri video, et apud Tuam quoque Celsitudinem nonnullos id aegre laturos esse vereor (etiamsi de Tuae Celsitudinis probitate optima quaeque mihi indubitato persuadeam), putavi mihi expectandum esse, ut de Tuae Celsitudinis animo hac in parte certior fiam. Atqui hoc ipsum adhuc etiam expecto. Et si scirem haec in me apud Tuam Celsitudinem ferri posse, non multum immorarer in instituendo istuc meo itinere. Sin minus, tum alio forte cogitarem. Meo mihi interim tamen officio functus videbor, quod Tuae Celsitudini detulerim operam meam.

Mitto Tuae Celsitudini brevem meam confessionem *) de nostra cum Christo Domino communione, et de corporis item Christi in Coena Dominica exhibitione, quam hic nunc aedidi propter obtrectatorum quorundam calumnias, qui interim amicitiam simulant et pro fratribus haberi volunt. Commendo me gratiae Celsitudinis Tuae quam diligentissime. Et Deum oro, ut Tuam Celsitudinem una cum illius familia, natoque non ita pridem novo haerede, clementer servet et gubernet. Aemdae, quarta Iunii, anno 1554.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae addictissimus
Ioannes a Lasco manu propria.

*) *deest.*

*N. 1446.*

*Vilnae, 9.VI.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*vigilantiam ducis in significandis periculis non solum regi probari, sed etiam a senatoribus maxime laudari significat.*

*Sigill.*

*HBA, B2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum Sacra Maiestas Regia, Dominus meus clementissimus, ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram literas et nuncium mitteret, faciendum et mihi pro mea observancia putavi, ut meas quoque literas eidem nuncio ad ipsam perferendas darem, ex quibus id potissimum Illustrissimam

Celsitudinem Vestram intelligere cupio, hanc illius vigilanciam non solum Sacrae Maiestati Regiae probari, sed et nostrum optimo cuique, sicuti caetera multa prudenti et magnanimo Principe digna, vehementer laudandam videri. Sacra quoque Maiestas Regia nihil in se, quod ad rem bene gerendam pertinere videbitur, desiderari pacietur, nam et ipsa sua sponte ad tuendam Reipublicae salutem satis propensa est, et qui tamen currenti calcar addant, non sane desunt. Nunc quidem quae videbantur ad rem pertinere in meque sita erant, diligenter et caeleriter, ut fierent, curavi, neque dubito diligenciam et studium hoc nostrum Deum Optimum Maximum adiuturum esse... Datum Vilnae, IXa Iunii, anno Domini MDLIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1447.*

*Vilnae, 16.VI.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de possibilitate generalis expeditionis bellicae a rege indicendae.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod Illustrissima Celsitudo Vestra gratum sibi accidere scribit, quod ea curem, quae mihi ab illa curanda committuntur, equidem certe, sicuti id libenter facio, ita merito facere debere ingenue profiteor. Quum enim Illustrissimae Celsitudinis Vestrae studium et consilia ad Serenissimi Principis mei Reique Publicae nostrae dignitatem incolumitatemque videam conferri, facere non possum, quin pro fide mea, quam et Principi meo et Reipublicae dedi, summo studio ea omnia, que Illustrissimam Celsitudinem Vestram in rem nostram velle intelligo, curanda expediendaque suscipiam, ac Sacra quidem Maiestas Regia nihil omnino eorum praetermittit, quae et res tempusque et vigilantis Principis munus postulare videntur.

Semel iam atque iterum belli signum datum est literis restium, ut vocantur, ad ordinem equestrem missis. Tercio etiam dabitur, si Illustrissima Celsitudo Vestra oportere iudicaverit. Sed Illustrissima Celsitudo Vestra non ignorat maxime dissolutam, vel nullam potius, Reipublicae nostrae hoc tempore rationem esse, eoque factum esse, ut in Comitiis Lublinensibus proxime habitis nihil, quo mercenarius miles alendus esset, conferre nobilitas voluerit. Ad generalem vero belli expeditionem divi Poloniae Reges, non nisi in extrema necessitate, multis de causis confugere adhuc in more positum habuerunt. Sed ad hanc ipsam tamen recurretur, si necesse esse Illustrissima Celsitudo Vestra iudicaverit, Sa-

craque Maiestas Regia tempus antevertere et ipsa ad locum, quem Illustrissima Celsitudo Vestra commodissimum esse censuerit, hostemque aditu prohibere constituit. Ad quam deinde sine dubio multi ultro auxilii ferendi studio confluxuri exercitumque non contemnendum constituturi sunt.

Ad Serenissimum praeterea Romanorum Regem et Illustres Pomeraniae Duces [1] literae Sacrae Maiestatis Regiae nomine, denuo in eam sententiam conscriptae, in quam Illustrissima Celsitudo Vestra conscribendas censet, mittentur. Quod autem ad alia negocia attinet, quae mihi Illustrissima Celsitudo Vestra sua causa curae esse cupit, eum me praestabo, quem me saepius fore pollicitus sum, hoc est diligentissimum. Sed Sacra Maiestas Regia, priusquam Senatorum sententias cognoscat, de eis statuere Illustrissimaeque Celsitudini Vestrae gratificari non potest... Vilnae, die XVIa Iunii, anno Domini MDLIIII.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae Vicecancellarius
subscripsit.

1) *Barnim IX et Philippus I.*

*N. 1448.*

*Vilnae, 23.VI.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
***se in iis negotiis, quae sibi a duce commendata essent, omnem diligentiam et studium adhibuisse nuntiat, praesentem tamen rerum statum obstitisse, quominus ducis Alberti et ducis Megapolensis postulatis satisfieri potuerit.***

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1449.*

*Vilnae, 18.VII.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
***de negotio Elisabethae marchionis Brandenburgensis.***
***(Schedula adiuncta de litteris a rege non subscriptis)***

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1450.*

*Leopoli, 27.VII.1554.*

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis*
*Alberto in Prussia duci*
*duce viros militares quaerente, miratur, cur ipse hac in re praetermissus fuerit, servitiaque sua in re militari offert; Matthiam Czerniejowski commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum hic perlatum esset ad Sacram et Serenissimam Regiam Maiestatem, per Vestram Illustrissimam Celsitudinem de hostibus suis suspicatis significatum esse, simul et pro Generoso Domino Bernardo Prethphicz, ut a Sacra Regia Maiestate ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem cum copia militum mitteretur, supplicatum esset, fuit, Illustrissime Princeps, admiracioni multorum plerisque senatorii ordinis, quod sum eo nomine ab Illustrissima Celsitudine Vestra praetermissus, scientibus illis me esse semper Illustrissimae Celsitudinis Vestrae favorabilem ac addictissimum servitorem. Non mediocrem sane et mihi, Illustrissime Princeps, hoc ipsum admirationem attulit, quod Illustrissima Celsitudo Vestra ad hoc idem negotium nec vocare nec significare mihi dignata est. Quandoquidem pro Vestrae Illustrissimae Celsitudinis in me gratia atque tot beneficiis collatis, rebus et sanguini non parcens, libenter me ac omnia mea in offerentem sese necessitatem exponere paratus sum. Etiamsi, Illustrissime Princeps, a multis ex variis locis ad munus militare patriae evocor multisque stipendiis oneror, tamen omnibus his gratiam ac clementiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae mihi praepono ac praefero, quam semper munificam ac liberalem sensi, quam etiam nolem[z)] sic neglienter[z)] omittere, quin imminenti necessitati auxiliante Christo praesto esse, pro debito offitii mei, non debeam.

Praeterea, Illustrissime Princeps, que mihi in litteris frater Ducis Mauricii[1)] scripsit ac per Comendatorem Posnaniensem, Dominum Vegorzewski, significavit, Dominus Conarski, frater meus, servitor vero Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, declarabit, cui declarare haec Illustrissimae Celsitudini [Vestrae] comendavi. Si vero nunc, Illustrissime Princeps, Celsitudo Vestra opera mea militari ad obsequia miliciae eguerit, significare ne gravetur Illustrissima Celsitudo Vestra. Semper me enim paratum eundemque obsequentissimum nullique postremum habebit.

Caeterum, Illustrissime Princeps, Matthiam Czernyeiowski, gentilem ac consanguineum meum, qui paulo ante comendatione mea munificam liberalitatem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae sensit, iterum commendo. Quare diligenter humiliterque peto, ut eadem gratia, qua ante usus est, et nunc fruatur. Dominus Conarsky, frater meus, servitor vero Illustrissimae Celsitudinis Vestrae addictissimus, fratrem suum germanum ex consilio omnium amicorum secum accepit, quem Illustrissimae Celsitudinis[z)] Vestrae dare instituit. Quem ut Illustrissima Celsitudo Vestra accipere dignetur, humiliter peto. Tandem me gratiae clementiaeque Illustrissimae

Celsitudinis Vestrae humiliter commendo, eandem sanam, sospitem, ex hostibus triumphantem diu et semper, auxiliante Christo, desyderans. Datum Leopoli, XXVII Iulii, anno Domini MDLIIII.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor
Procopius a Szyeniawa, Dapifer Leopoliensis.

z) *sic in ms.*
1) *Augustus.*

*N. 1451.*

*Grodzisko, 5.VIII.1554.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*Eustathium Trepka, servitorem suum, certis in negotiis ad ducem mittit et rogat, ut ei dux in omnibus fidem adhibeat.*
*Sigill. Autogr.*
*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1452.*

*Vilnae, 6.VIII.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis, diligentiam suam in agendis negotiis ducis laudantes, accepisse se nuntiat et diligentiorem adhuc se fore pollicetur.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1453.*

*Sarnowo, 10.VIII.1554.*

*Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Polenz, capitaneus in Schönberg (Szymbarski) conqueritur, qui, mandato ducis spreto, profugos subditos suos sibi restituere non vult.*
*Sigill.*
*(Schedula adiuncta, in qua addit Procopium Sieniawski, generum suum, eadem in re iam apud ducem operam suam interposuisse)*
*H B A, B 2, K.384.*

N. 1454.

*Srzeńsko, 11.VIII.1554.*

*Felix Srzeński, palatinus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensi, consanguinea sua, intercedit, cui capitaneus in Schönberg (Szymbarski), non obstante mandato ducis, non solum subditos profugos restituere non vult, sed etiam familiares eius, qui ei litteras ducis attulerant, contra ius gentium ausus est opprimere.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

N. 1455.

*Sarnowo, 12.VIII.1554.*

*Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de regis et reginae intercessione in negotio suo et sororis suae, quod eis cum subdito ducis, iudice Finck (vel Finka), intercedit; rogat, ut dux diem iudicio statuere velit.*
*(Polonice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

N. 1456.

*Vilnae, 24.VIII.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*in negotiis, de quibus secum Assuerus Brandt, capitaneus Tapiensis, egit, quid illi a se responsum sit, ex eodem Brandt ducem intellecturum esse significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

N. 1457.

Vilnae, 24.VIII.1554.

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*ad ternas ducis litteras respondet: 1. de Erhardo a Kunheim a se adiuto et adiuvando; 2. de negotio Valentini Hermann cum magistratu Elbingensi; 3. de « finitoribus sive mensuratoribus terrae Coadiutensis »; de Bohemica matrona sibi a duce commendata; de comitissa Hennebergensi.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ternas mihi Illustrissimae Celsitudinis Vestrae litteras Erhardus a Kunheim reddidit, ad quas ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae satisfiat, singulatim respondebo.

Primum eum ipsum Erhardum, quem mihi Illustrissima Celsitudo Vestra commendat, eo loco habiturus eamque illi benevolentiam declaraturus sum, ut experturus sit commendatione hac plurimum se apud me adiutum esse. Confido autem illum praestaturum se esse eum, ut et tam diligenti Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commendationi et meae de se spei respondeat occasionesque sui benevolentia complectendi mihi praebeat. Atque id quidem ad primum.

Deinde quod me alteris literis Illustrissima Celsitudo Vestra admonet, ut Valentini Herman, ne quid contra eum magistratus Elbingensis denuo impetret, meminisse velim, pro mea in ipsam observantia, reique adeo aequitate, mandavi meis, id ut curarent, idque ita factum iri satis scio.

Tertiis literis Illustrissima Celsitudo Vestra de finitoribus sive mensuratoribus terrae Coadiutensis ab instituto revocandis mecum agit. Qua in re ego Illustrissimae Celsitudini Vestrae opera et diligentia apud Serenissimum Principem meum non defui, effectumque est, ut eos iusserit revocari. Sed quoniam eae illorum revocandorum literae ex Ruthena Cancellaria petendae erant, tam celeriter, ut soleo, Illustrissimae Celsitudini Vestrae in eis curandis inservire non potui. Ad fines etiam regendos, ut Sacra Maiestas Regia aliquos se designaturam esse promitteret, effeci. Sed ea designatio iniuriarumque cognitio ante Comitiorum Lituanicorum tempus fieri non potest. Commode autem Illustrissima Celsitudo Vestra videretur esse factura, si ad illud tempus suorum aliquem, ut instaret, mittere non gravaretur, tametsi equidem ne illo quidem tempore illius voluntati studio et diligentia sum defuturus.

De Bohemica illa matrona, quemadmodum mihi Illustrissima Celsitudo Vestra rem se habere perscripserat, ita pro ea et eius marito deprecandi negotium Reverendo Domino Martino Cromero, Custodi Visliciensi, Secretario regio, qui non multo ante ad Serenissimum Dominum Romanorum Regem Orator missus est, inter alia dari curavi, neque dubito, quod Illustrissima Celsitudo Vestra cupit, et curatum et impetratum iri, tametsi hoc quidem posterius facilius optare quam prestare possum.

De Illustri Domina Hennebergensi Comite quid effectum sit, non opus est multis repetere. Illud autem addo, si quid preterea in ea iuvanda operae et curae Illustrissima Celsitudo Vestra me ponere voluerit,

alacriter me et studiose suscepturum ac curaturum esse. Is enim sum, qui Illustrissimae Celsitudini Vestrae non iis solum, quae mihi ab illa curanda committuntur, sed aliis etiam, si qua mihi ipsi non admonito in mentem venerint, diligentissime curandis observantiam et deserviendi studium probare percupiam... Datum Vilnae, die XXIIII Augusti, anno Domini MDLIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1458.*

*Marienburgi, 2.IX.1554.*

*Lucas Baliński, tribunus Dobinensis, capitaneus Marienburgensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de concesso a se salvo conductu Samsoni Krzyński eiusque famulo, homicidis.*
*(Germanice)*
*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1459.*

*Memel, 6.IX.1554.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro beneficiis gratias agit, servitia offert.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1460.*

*Grądy, 13.IX.1554.*

*Alexander Iłowski, castellanus Zakroczymensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de capitaneis ducis queritur, qui, mandatis ducis contemptis, non solum subditos profugos suos ei restituere noluerunt, sed etiam servitores suos verberibus afficere volebant.*
*(Polonice. Adest summarium germanicum)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.384.*

N. 1461.

*Tarnopoli, 19.IX.1554.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci*
*Ioannem Sienieński, amicum suum, gravi quodam casu ac iniuria affectum, magnopere commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

N. 1462.

*Pomorzany, 21.IX.1554.*

*Ioannes Sienieński a Sienno*
*Alberto in Prussia duci*
*opem et auxilium ducis implorat contra Petrum Boratyński, castellanum Premisliensem, et contra Iacobum Herburth, inimicum suum, a quibus magna iniuria affectus est.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

N. 1463.

*Gorzno, 6.X.1554.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de impedimentis, quibus regundorum finium negotium in aliud tempus reiectum erat et de necessitate novorum commissariorum hac in re constituendorum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

N. 1464.

*Vilnae, 14.X.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de depraedatoribus silvarum debito modo puniendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ut me similem esse mei nihilque de eo studio, quod Illustrissimae Celsitudini Vestrae iam pridem devovi, remisisse probarem, studiose et

sine mora curavi, ut Sacra Maiestas Regia clandestinos istos sylvarum depraedatores, quorum nomina in literas inclusa hucque missa sunt,*) iusto supplicio affici iuberet, edidique Sacrae Maiestatis Regiae literas, quibus hoc ipsum Lomzensi et Visnensi Capitaneo diligenter mandatur, facileque futurum confido, ut in hoc voluntati et postulationi Illustrissimae Celsitudinis Vestrae satisfiat... Datum Vilnae, die XIIII Octobris, anno Domini MDLIIII.

a) Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius subscripsit.b)

a)-b) *manu propria.*
*) *desunt.*

*N. 1465.*

*Ostroróg, 30.X.1554.*

*Iacobus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*pro quattuor falconibus sibi missis prolixas gratias agit; in schedula alia manu scripta significat fratrem suum [Stanislaum], castellanum Miedzirzecensem, domo abesse et in Russia commorari, ideoque falcones ei destinatos se uxori eius reddidisse.*

*Sigill. Autogr.*

*(Schedula agglutinata alia manu scripta)*
*Partim ed. Wotschke, Stanislaus Ostroróg, II, p. 69.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1466.*

*Posnaniae, 4.XI.1554.*

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux litteras suas, lectas sive non lectas, comburat; certum se esse affirmat regem nullam prolem habiturum esse; ducem admonet, ut filium linguam polonicam discere faciat; mittit nova ex Hungaria et ex Italia; Matthiam Poley commendat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.384.*

... Illustrissime Princeps.

Quod per hoc tempus Vestrae Celsitudini non scripsi, causa est, quod per ea loca versabar, unde nulla occasio litteras transmittendi erat, praesertim quod mea grammatica non cuivis dyalectico credenda est. Sed nec obveniebat quidquam scriptu dignum. Alioqui famulum meum, aut me ipsum, mittere fui et ero semper paratus, et cetera. Nunc vero,

antequam id dicam, quod sepe meditor, liceat Vestram Celsitudinem admonere, ut meas litteras (ut ineptas), sive perlectas sive non, comburat. Suspicor enim, immo sencio quandam epistolam meam, liberius scriptam, incidisse in latrones, vel ad minus in oculos maturorum[a] nebulonum, exindeque vetusta mea vulnera aperiuntur. Admonebam ego te (inquit noster Cancellarius,[1] meus Dominus non graciosus) ante aliquot annos, ut negocii habeas nihil cum Duce Prussiae et Castellano Posnaniensi[2] etc. etc. Tamen ego mihi de me polliceri nolo, quod non sim mei similis futurus in futurum perpetuo, nisi quod amplius prophetizare nolo. Predicebam, inter cetera, hoc anno a mense Marcio Reginam nostram[3] non habituram esse prolem ex hoc utero, quem hoc toto fere anno gestare affirmabatur, de quo adulatores et sycophante ita triumphabant. Et ecce 28, obstetrices, non use suo officio, ex Vilna reversae sunt in regionem suam. O Deus, quam dissonant nostre tibie, quascunque per hos annos 7 accordare tanto studio nitebamur. Hoc vero est triumphare ante victoriam.

Hoc autem est, quod dicere volebam a principio in aurem tantum Vestrae Celsitudinis. Admoneo et rogo, ut filius Vestrae Celsitudinis Polonice discat (idque in hac prima puericia, alioqui nunquam perfecte sciret). Sunt enim signa (publice quidem hec nota), quod, tribus habitis uxoribus, nihil etc. sterilitatis in nostro Rege, sed sunt et alia secreciora, que perpetuam sterilitatem minantur, sicut Regina mater[4] dicit irata. De qua re aliquando coram lacius etc.

Prodesse itaque cognicio sermonis nostri potest, obesse non potest. Quem si quis a puericia discat, non didicisse, sed parvo negocio invenisse videbitur.

Quamquam autem ego credo Illustrissimam Vestram Celsitudinem ambiciosam non esse, adaptare tamen se et suos illam non dubito ad usum Reipublicae, suo dominio coniunctae, praesertim cum tam periculosa et mala tempora videamus, et fortasse peiora expectamus. Aperte enim nos malus usus et mali mores semper in peius trahunt, et mala animorum concordia in omni statu Regni, que magis indies crescit et quam nos augere, ne dicam irritare pocius, quam mitigare pergimus, ruinam minatur. Ad quam nihil aliud iam deest, nisi quod occupatos aut itidem ignavos vicinos habeamus. Alioqui dedissemus iam penas socordiae et ignaviae nostrae ac malignarum practicarum. Sed frustra lamentabimur, si spes resipiscendi et ex turpissimo somno expergiscendi non aparet.

Ceterum Domino Deo agat gracias Prussiae Dux cum suis, quod, cum perturbato orbe in omnibus fere locis variis calamitatibus misere laboretur, sola Prussia, pristino statu retento, tranquillius et beacius vivere videtur.

Nova nulla bona, diis gracia, audiuntur. Turci Filak[5] Ungaricum, arcem munitissimam, acceperunt, que tantum 8 miliaribus distat a fundo Regis Poloniae. Cuius arcis possessor erat Bebek, habuitque exercitum, si se coniunxisset cum Perenni Gabriele, maiorem quam Turce. Sed discordia non permisit vires coniungere. Non confidebant enim sibi invicem. Et ita actum est de arce, in qua paucissimi erant deffensores.

Ex Italia scribitur, quod Petrus Strocza,[6] Prefectus militum Regis Gallie in Italia, qui nuper vel non ita diu victus et caeso eius exercitu, in pede globo sclopeti sive bombardae vulneratus, aufugerat. Nunc revixit atque maiorem, quam ante, exercitum collegit pugnatque pro liber-

tate Florentinorum et Senensium contra Ioannem Baptistam Gastaldo, Caesarianorum Prefectum. Sed unde tam repente novus exercitus? Scilicet Papa,[7] qui se Cesarianum simulabat, apercius iam Gallos iuvare videtur, putans Sanctitati Suae multum refferre, ut neuter istorum bellatorum Regum prorsus debilitetur etc. Vetus est vaffricies.

Item Mathias Poley, homo non indoctus et iuris civilis studiosus, linguarum Latinae, Germanicae et Polonicae peritus (quo Castellanus Posnaniensis, Andreas de Gorca, in suis maioribus negociis, praesertim Germanicis, utebatur), rogavit, ut pro se ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem intercederem, cupiens, ut illum Vestra Celsitudo in numerum suorum servitorum recipiat atque illius opera et industria utatur. De quo ipse lacius scribit, et ego pro illo rogo, non dubitans, quod utilem servitorem sit praestaturus... Posnaniae, 4 Novembris, 1554.

Stanislaus Boianowski.

*In dorso:* Illustrissimo Principi *etc.* Ad manus proprias.

a) *in margine.*
1) *Ioannes Ocieski.*
2) *Andreas a Górka.*
3) *Catharina.*
4) *Bona.*
5) *Vylok.*
6) *Strozzi.*
7) *Iulius III.*

*N. 1467.*

*Vilnae, 5.XI.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de praefectura Marienburgensi iam Stanislao Myszkowski data; de Rogosnensi praefectura regem nihil decernere posse contra patris mandata nuntiat.*

*Sigill.*

*Partim ed. Wotschke, Stanislaus Ostroróg II, p. 112 (nota).*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Serius mihi redditae sunt Celsitudinis Vestrae literae, quam ut mandata illius de Mariemburgensi Praefectura exequi potuissem. Nam ante aliquot hebdomadas, mox ut de morte Domini Palatini Plocensis[1] compertum fuit, Sacra Maiestas Regia, Dominus meus clementissimus, eam Domino Stanislao Mischkowski dederat, sequta[z] exemplum divorum precessorum suorum, qui eam Praefecturam Polonis demandare consueverant ab eo ipso tempore, quo ea arx in Polonorum manus pervenit.

De Rogosnensi Praefectura ita sibi, vivente adhuc divo Sigismundo Rege, Sokolowski[2] prospexerat, ut nihil contra a Sacra Maiestate Regia concedi possit sine offensione paternorum dyplomatum, nisi prius cognitum legittimo iudicio fuerit, nam ea contra terrarum Prussiae privilegia impetraverit. De eo autem publico terrarum Prussiae nomine actio instituenda fortassis illi esset.

Ego Magnificum Dominum Palatinum Mariemburgensem[3] tanti facio, ut eius solius causa nihil sim recusaturus, quod recte facere possem. Illustrissimae autem Celsitudinis Vestrae mandata, post Serenissimi Regis mei voluntatem, precipuum locum habent. Sed cum ea exequi non potuerim hoc tempore, non dubito Illustrissimam Celsitudinem Vestram clementer hoc esse actepturam, in hiis, quae praestari a me poterunt, promptum me ad omnia mandata sua expertura... Vilnae, Vto Novembris, anno Domini MDLIIII.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae Vicecancellarius.

z) *sic in ms.*
1) *Felix Srzeński.*
2) *Christophorus Sokołowski.*
3) *Achatius Czema.*

*N. 1468.*

*Łomża, 12.XI.1554.*

*Stanislaus Ławski, palatinus et vicesgerens Masoviae, Alberto in Prussia duci ad ducis adhortationem, in negotio matrimonii filiae suae cum capitaneo Insterburgensi contrahendi, respondet se nunc magnis Reipublicae negotiis obrutum, huic ducis consilio hoc tempore satisfacere non posse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Accepi literas Illustritatis Vestrae per Notarium Johansburgensem allatas, quibus multum gratiae suae, tum clementiae simulque benevolentiae declarare mihi, fideli servitori suo, dignatur, atque etiam non defuit ex hac gratia Illustritatis Vestrae offitii mihi collati, nempe palatinatus Masoviae, gratulatio. Eamque, ut ita dicam, magnam gratiam (quoad vires supersint corpori meo, adnixis ad Deum Optimum indignis precibus pro faustissimo Illustritatis Vestrae imperio) mereri fideli obsequio ex animo conabor.

Et quia accidit adhortatio benigna atque clemens et gratiosum non minusque gratum consilium Illustritatis Vestrae pro inienda[z] amicitia arctiusque certa illa iam pridem cepta conservanda cum Domino Capitaneo Instemburgensi, fideli servitore Illustritatis Vestrae, eaque ut sit magis ac magis conservanda, per matrimonium ex nutu divino atque gratia Illustritatis Vestrae ac voluntate mea filiaeque meae contrahendum, semota protractione aliqua, quae consilium hoc tam utile atque domui et familiae meae honestum impedire debeat. Quo consilio ac adhortatione tam iucunda nimis cor meum exhilaratum fore Illustrissima Ducalis Celsitudo Vestra omnino sciat, illiusque mandatis atque salubribus consiliis morem gerere animum sincerum suum ac fidelem offerro,[z] coniugiumque

hoc (quum gratia Dei Summi atque etiam Illustritatis Vestrae sit) procrastinare nollim.[z] Verum negotium Reipublicae, quod humeris pronunc sustineo, animum meum ad perfitiendum illud impedit. Nam his negotiis obrutus, optatum animum pro voto Illustritatis Vestrae determinare commode, quod me nimis angit, quia hoc salubre consilium non minusque clemens ac benignum perficere nequeo. Quamprimum tamen curis Reipublicae solutus fuero, servitorem meum cum literis suis pro assignando tempore, quando hoc idem negotium consumari debeatur, mittam Vestramque Ducalem Celsitudinem certiorem fatiam.

Interea precor pro his bonis Andrissowo, ut antea rogatam habui, gratiose conferre dignetur. Etenim mea fidelis quoque et sincera subiectio simulque et eius optimi viri, Capitanei Illustritatis Vestrae, non tantum ad prestanda obsequia fidelia, sed ad ea omnia, quae gratiam illius comparare possunt, semper ex fideli atque animo sincero meo non deerit... Datum Lomzae, feria secunda in crastino Divi Martini, anno Domini 1554.

Eiusdem Vestrae Ducalis Celsitudinis
addictissimus et fidelis servitor
Stanislaus Lawski de Sthrzegoczino, Palatinus et Sacrae
Regiae Maiestatis Vicesgerens in Masovia.

z) *sic in ms.*

*N. 1469.*

*Vilnae, 20.XI.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*negotia, a duce Assuero Brandt commissa, propter eiusdem adversam valetudinem se ducis nomine apud regem expediturum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditae mihi sunt literae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, adiunctis aliis ad proprias Sacrae Regiae Maiestatis manus pertinentibus, et instructione Generoso Domino Assuero Brandt ab Illustrissima Celsitudine Vestra commissa in negociis quibusdam, quae coram Sacra Regia Maiestate aliisque Consiliariis nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae expedire debebat. In qua tamen re postquam idem Dominus Brandt propter adversam valetudinem impeditus est, et Illustrissima Celsitudo Vestra mihi illud negocii clementer imposuerit, ut haud gravatim et proponere illas causas et promovere etiam, quantum in me sit, velim. Ego vicissim Illustrissimam Celsitudinem Vestram latere minime possum non defuisse nonnullos ex amicis, qui me ab eo abstrahere conati sint, quod id mihi parum convenire, in Senatu praesertim Lithuanico, existimarunt. Verum maior ratio habita a me est voluntatis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, cui ut satisfacere possim, non gravabor ea omnia, quae comprehenduntur in instructione, et Illustrissima Celsitudo Vestra mihi confidenter man-

dat, oportuno tempore, posteaquam haec praesentia Comitia cursum suum sortita fuerint, Maiestati Sacrae Regiae Consiliariisque Lithuanicis nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae et proponere et, quantummodo fieri poterit, expedire. Cum autem de die, quo de his deliberari commode possit, prorsus nihil certi, propterea quod de nullis adhuc causis agi coeptum sit, statuere possum, minime necessarium esse duxi hunc Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Nuncium ad hoc usque tempus hic detinere. Sed quicquid hic obtinuero, ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram per meum, si alterius certi potestas data non erit, mittam.

Literas ad proprias Sacrae Regiae Maiestatis manus scriptas ea, qua debui, observantia obtuli. Nec intermittam apud Sacram Regiam Maiestatem sollicitare, quo primo tempore Illustrissima Celsitudo Vestra responsum habere possit.

Quod superest, obnixe ab Illustrissima Celsitudine Vestra peto, ut eadem gratia, quemadmodum hactenus factum est, me complectatur. Quantum in me erit, omnes conatus meos eo dirigere non omittam, ut Illustrissima Celsitudo Vestra re ipsa experiatur me diligentem in negociis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae semper fuisse... Datae Vilnae, 20 die Novembris, anno Domini 1554.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae Vicecancellarius.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1470.*

*Vilnae, 28.XI.1554.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus generalis Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*oblata tabellarii occasione, ducem salutat, se et obsequia sua commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

*N. 1471.*

*Posnaniae, 20.XII.1554.*

*Lucas a Górka, castellanus Brestensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rhedam cum equis rhedariis duci dono mittit et se excusat, quod ducem ad nuptias sororis suae, ducis filiae ex baptismo susceptae, ob certa impedimenta non invitaverit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

## N. 1472.

*Vilnae, 20.XII.1554.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio Elisabethae marchionissae Brandenburgensis et comitissae Hennebergensis, necnon de responso in negotiis Lithuanicis duci dando.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quamvis non dubitarem Sacram Regiam Maiestatem, Dominum meum clementissimum, erga Illustrissimam Dominam Elizabetham Marchionissam Brandenburgensem ac Comitissam Hennebergensem eo animo esse, ut in gratiam Illustritatis eius ea, quae postulantur necessitate exigente, propterea quod Regiam hanc Maiestatem inclytae illi familiae plurimum favere scio, praestaret, cum tamen Illustrissima Dominatio Vestra mihi quoque per literas mandare dignata est, ut operam quoque meam apud Regiam hanc Maiestatem interponerem, feci id pro ea, quam Illustrissimae Dominationi Vestrae semel detuli, observantia quam libentissime et diligentissime.

In rebus Lithuanicis ab Illustrissima Dominatione Vestra mihi commendatis, etsi nihil a me intermissum est, nullum tamen hactenus responsum obtinere potui, nec illud propter temporis brevitatem ac plurima etiam negocia, quibus Senatus Lithuanicus adhuc occupatus est, ante proximum Nativitatis festum sperare possum. Praeteritis autem feriis nihil impedire video, quod prolongare responsum possit. Quod ipsum et Sacra Regia Maiestas Senatusque Lituanicus eo tempore se daturos esse receperunt. Ego, quam primum datum fuerit, non intermittam vel cum proprio servitore meo Illustrissimae Dominationi Vestrae transmittere... Datum Vilnae, XX Decembris, anno Domini MDLIIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae Vicecancellarius.[b]

a)-b) *manu propria.*

## N. 1473.

*Posnaniae, 20.XII.1554.*

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Turcis in Hungaria et de periculo Regno Poloniae ex eis impendente; de tumultuariis nuptiis cuiusdam civis Cracoviensis, quibus aliqui Regni senatores intererant; de Comitiis Imperii Augustae indictis, sed ob non adventum principum Germaniae non inchoatis.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.384.*

Illustrissime Princeps.

Postquam hinc, ex Posnania, ad Vestram Celsitudinem litteras meas 4 die Novembris dedissem atque tedia tam diuturni silencii aliqua ex

parte lenivissem, accepi postea, in 9 diebus, Vestrae Illustrissimae Celsitudinis epistolam, per Craccoviam huc ad me perlatam. Ex qua iucundissimum erat mihi intelligere Celsitudinem Vestram bona valetudine et aliis foelicitatibus frui atque solitam erga me clemenciam et mei memoriam retinere. Gratissimus eciam fuit iocus, quod me scribit Vestra Celsitudo ex pinguibus sacrificorum praebendis Craccovie suaviter vivere atque ob hoc nominis Vestrae Celsitudinis me oblitum esse. Hoc postremum quidem longissime abest et apud me impossibile, sed primum indies magis ac magis appropinquat. Convenit enim mihi cum sacerdotibus, sicut lanio cum vacca, aut lupo cum capra.

De statu rerum Polonicarum scripsi in praedictis litteris meis. Que quidem non est opus repetere, nisi quod omnia indies confirmantur, que mala sunt, si que autem bona, a longe stant recedereque pocius a nobis, quam ad nos apropinquare, videntur. Habui heri litteras ex Craccovia a Domino Ioanne Bonero. Quibus scribit Turcas adeo in virtutibus suis quottidie proficere, quod iam 4 tantum miliaribus a fundo Regni Poloniae, in Scepusio, sedes fixas habeant. Capta illa arce Willak,[1] de qua ante scripsi, in qua regios, ut ita dicam, tezauros et apparatus acceperunt. Omnes enim illius districtus comportaverant et deposuerant precipuas suas substancias, tutissimum locum videntes, tormenta bellica in rotis 80 et omnia bello et paci neccessaria in maxima quantitate. Atque postquam hec accepissent, mox tentaverunt aliam arcem, Moran, in qua Praefectus est Caspar Dominic, ex Croacia nobilis. Qui paulo ante famulum miserat cum 300 ducatis pro equo emendo, cui se adiunxit alter eius servitor et furatus est illos 300 ducatos. Postea reversus est uterque in arcem, ubi ex quadam suspicione datus est fur ille ad questiones, atque confessus factum ac locum, ubi servaret, demonstravit. Postea rogavit accessum ad Dominum dixitque: Ego male feci, tu tamen habes tuam peccuniam. Si vis me vita donare, dicam tibi, quod te scire refert. Quod quidem praecipui milites disuadebant et, ut suspenderetur, instabant. Praefectus tandem promisit illi vitam, si quid scitu dignum dixerit. Ductus deinde in secretum locum, vinctus dixit Domino: Hodie aut cras isti tui comensales 6, quos tibi Rex Romanorum misit, prodent te, una cum arce, in manus Turcarum. Ille non credebat, iste affirmabat, et in signum, inquit, mitte speculatores in circumstantes sylvas, et videbunt frequentes Turcas. Tum demum posuit in vincula sic accusatos, qui confessi sunt se peccuniam a Turcis accepisse etc.

Malum est et magnum omnium nostrum periculum, quod Turci adeo potentes sunt, praesertim in tanta nostrorum ignavia. Sed hoc malum duplicatum est, quod tam multi inter nostros proditores reperiuntur et quod plurimi sponte se sub Turcarum imperium coniciunt. Nullus vero invenitur, qui velit Turcas in graciam nostram prodere. Deus misereatur nostri! Scribit praeterea, quod nuper Craccovie convenerunt ad nupcias cuiusdam civis Domini Senatores Regni et Officiales, nempe Tazaurarius,[z] [2] uterque Cancellarius,[3] Magnus Procurator Craccoviensis, hoc est Ioannes Bonar, et multi alii. Ubi, facta contencione et tumultu, probris et contumeliis primum pugnabant, idque sedabatur sepius et renovabatur. Tandem ad arma itum est, interfeceruntque Stanislaum Wielopolski, aulicum regium, bonum certe virum, et qui nihil aliud agebat, quam dirimebat. Tezaurarium Regni in capite vulnerarunt, Tezaurarium Curie, Ioannem Lyutomirski, in manu, uxorem Cancellarii (quia maritus fugie-

rat) in manibus, Stanislaum Czykowski durch den achssel goschtochenn,[z] et alii plurimi etc. Dicunt, quod horum omnium causam prebuit Dominus Cancellarius, qui prioris fortunae oblitus, insolescit presenti.

Ex Germania scribitur pacificata nunc esse omnia. Ad instanciam Romanorum Regis indictus erat Conventus Imperii Augustae, sed postquam nollent Principes convenire, Rex quoque suos, quos praemiserat, revocavit.

Ceterum parum cognicionis vel iudicii habeo de navigacione et emporiis sive portubus et eorum circumstanciis, magis tamen quam ille, qui omnino nihil. Quoniam autem intonuit et augetur fama, que animos multorum perturbat, quod Istula abductus est, sive aqua Istulae aversa ex veteri eius meatu etc., suspicorque, quod hec practica novas turbas Regiae Maiestati ab Ordinibus Regni suo tempore adferet, diciturque, quod hoc negocium quadam ex parte ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem spectet. Commodum-ne, an incommodum sit, nescio. Generale tamen et magnum malum ex hoc secuturum esse plurimi affirmant, ut in omni fere repentina mutacione fieri solet. Quare (si commodum erit Vestrae Celsitudini) rogo, ut mihi curet describi eius rei accidencia, in genere quidem et in speciebus, sed eciam an hoc quidpiam vel multum referat dominio Vestrae Celsitudinis, ut scirem quid responderem, aut ubi tacendum sit, cum me tam multi adoriuntur et interrogant, putantes se a me eius rei cognicionem habituros etc. Si autem Illustrissima Vestra Celsitudo ad me litteras dare voluerit, dirigat eas Posnaniam, quod per Gedanum aut per Thuroniam[z] commodius (sicut puto) fieret. Addetur circa titulum in mea absencia, ut dentur per manus Ioannis Grodzyczki, aut Doctoris Iozephi Strucii.[4] Intra unum enim mensem non redibo Craccoviam, quia pestis non solum suspecta est, sed iam in suburbiis operatur. De qua re litteras expecto... Posnaniae, 20 Decembris, 1554.

Stanislaus Boianowski.

z) *sic in ms.*

1) *Vylok.*

2) *Spytek Jordan de Zakliczyn.*

3) *Ioannes Ocieski et Ioannes Przerembski.*

4) *Iosephus Strusiek (vel Struś), medicus, professor Universitatis Patavinae, postea Cracoviensis.*

# 1555

*N. 1474.*

*Posnaniae, 3.I.1555.*

*Stanislaus Bojanowski, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de restituta (inter protestantes) in rebus religionis concordia et de religionis (reformatae) in Polonia propagatione gaudet; abundius edoceri cupit de cursu Vistulae mutando; mittit aliqua nova ex Hungaria et ex Lithuania sibi missa.*

*Sigill. Autogr.*

*(2 annexa: 1. nova ex Hungaria, 2. nova ex Lithuania missa 6.XII.1554)*

*H B A, B 2, K.385.*

... Illustrissime Princeps.

Postquam ex Craccovia Posnaniam venissem, dedi ad Vestram Celsitudinem litteras 4 die Novembris per cursorem Mathiae Poley, alteras vero per servitorem Domini Lucae de Gorca, cum curru sive reda et redariis equis missum 20 Decembris. Hoc propterea scribo, quia sollicitus sum, an tales litterae Celsitudini Vestrae sint reddite.

Nunc etsi nihil sit, quod scribam, malui tamen nihil scribere, quam omnino non scribere atque ita magnum gaudium meum reiterare ex maxima perturbacione et dolore, quo animus meus et multorum, qui nominis et laudis Vestrae Illustrissimae Celsitudinis vere sunt studiosi, torquebatur propter dissidium et discordiam religionis, superioribus annis motam. Que, sicut nos offendebat summoque merore afficiebat, ita nunc solatur et leticiam adffert concordia et unanimitas, que singulari gracia Dei per pietatem et prudenciam Vestrae Celsitudinis est restituta. Nec dubito hoc nomine ipsam quoque Vestram Celsitudinem gaudere, dum cogitat et perpendit, quam bonae sint concordie et dilectionis, et quam malae discordiae et odii circumstancie, provisuramque sedulo, ne quid novi et inauditi de Deo et in religione exoriatur, praesertim quod omnes actiones et sensus humani in mala sint proni. Quam vero male dispositi simus ad bona, hoc indicant clare tempora nostra, in quibus omnia fere publica et privata negocia astutus quidam et niger dyabolus nigro percacavit et est certe mirabilis vel pocius miserabilis talis proprietas aut energia mundi. Dicunt pastores, quod una ovis scabiosa facile potest inficere 99 sanas. Cur non fit idem econtra? ut una sana 99 morbidas reficiat? Immo (o Deus bone, respice nos bene!) 99 sanae oves unam

languidam non sciunt curare. O, quam proclive est declinare in malum, quam vero difficile in bonum!

Moschovite habent proverbium, quod unus stultus potest lapidem proicere in fontem, et 50 sapientes nescient eximere. Sed hanc philosophiam praestaret nescivisse, si nos non moveret idque sensibiliter ipsa. Quare cauciores nos in dies esse oportet.

Religio per Poloniam paulatim crescit. Habentur et aluntur publice cristiani concionatores, et misse (ut vocant) fiunt Polonice, Sacramentum datur sub utraque etc. etc. Hec in terra Craccoviensi, Sendomiriensi et in Maiori Polonia promoventur in dies magis ac magis, et praesertim duo fratres Domini de Ostrorog,[1] Dominus Tomiczki[2] etc. etc., idque frendentibus Episcopis, Regia Maiestate utrique parti, et interdum neutri, connivente et dissimulante.

Item illi boni viri, postquam occidissent unum et plurimos vulnerassent (de quibus antea Vestrae Celsitudini scripsi), redierunt mox in graciam, prudentes sicut serpentes,[a] agno peiores, qui unum lupum pestiferum[b] non occiderunt.

Item de abductione Istule ad Vestram Celsitudinem scripsi rogans (si hoc parvo negocio fieri posset), ut scirem eius rei circumstancias, inter cetera commodum-ne an incommodum id esset Vestrae Celsitudini. Item, an antea, ut quidam dicunt, principalis rivus Istule hoc alveo versus Elbingam fluebat sub Mariemburgum. Quod ego hactenus non credo. Et cetera accidencia huius rei, durabile-ne hoc opus sit futurum et sine periculis fundi Im Werder etc.

Commoti iterum sunt animi nobilium in Polonia, quod res nove, tanti momenti praesertim, privata quadam practica, non solum inconsultis, sed eciam insciis Ordinibus, quorum maxime interest, tam audacter introducuntur.

Item, si quid refert, ego expecto litteras ex Vilna et alteras ex Craccovia, quibus acceptis, potero scire, redeundum-ne mihi erit Craccoviam in istis 6 diebus, an hic permanendum diucius. In Aprili autem, aut in Mayo, peracto quodam negocio Craccovie, ad Regem me ire oportebit, si Rex ad me non volet venire... Posnanie, 3 anni 1555.

Stanislaus Boianowski.

a)-b) *linea subductum.*
1) *Stanislaus et Iacobus.*
2) *Ioannes.*

*Annexum I: Nova ex Hungaria.*

Ex Hungaria.

Venerunt ab Episcopo Varadinensi,[1] duo Legati magna authoritate, Peruszicz dictus, praefectus militum eiusdem Episcopi, et Eucystwan,[2] Capitaneus in Dzyula, ad Dominum Batori.[3] Quorum legacio nondum est nota, secreto enim modo fuit tractata. Qui hoc publice dicebant pro re certa, quod Caesar Turcarum dedit Petro Petrowicz, qui in Poloniam cum filio Regis Ioannis[4] venerat, terram Moldavie et in inferiori Valachia Avafelfeldi. Sunt loca sibi vicina, et in Hungaria Temeschwar, cum omnibus proventibus, qui pro Cesare exigebantur.

Item dicebant venire 100000 Turcarum versus Budam eo nomine, ut filius Ioannis Regis in Hungariam reducatur.

Hec nova attulit Craccoviam Benedic Dyac, unus ex Consiliariis Domini Batori.

Item Rex Romanorum misit alium Capitaneum Cassoviam, Germanum, Kinisberger dictum. Qui mox ad Praefectos vicinorum districtuum mandatum dedit, ut dent maximum, quem possent, numerum hominum ad instaurandas municiones civitatis, et ut victualia convehant. Qui responderunt se esse ita extenuatos, quod non possunt, eciam si velint, dicentes se hoc anno terciam contribucionem Regi dedisse. Deinde Rex Romanorum scripsit ad istos Praefectos districtuum, ut ex quolibet territorio certas personas eligant et eas mittant ad Dominum Batori, qui illis regiam voluntatem indicabit.

Item quoniam tempus non patitur, ut purius scriberentur hec, que mihi ex Lyttwania sunt missa, mitto ut sunt.

1) *Matthias II Zaberdinus.*
2) *Euc Istvan?*
3) *Andreas.*
4) *Ioannes Sigismundus.*

*Annexum II: Nova ex Lithuania missa:*

Nihil parit Lithuania unquam (mi Charissime Dignissimeque, cui per totum sit bene, bone Boianowski), quod merito laudare aut admirari possis, etiam si monstrorum et portentorum capiosa sit patria. Quare a me nunc nihil expectabis eius, quo delectari possis.

Ego nudius est tertius, ex quo Petercovia sum reversus molestissimo itinere. Hoc me tamen solatii [z] sum, quod apud Reginalem Hungariae Maiestatem [1] (id, quod Deo laus sit et aeterna gloria) omnia ex Regiae Maiestatis animi sententia absolvi et obtinui. Cum qua etiam si erat per dies integros decem luctandum, ut ne se in Hungariam conferat, victa tamen precibus et consiliis fraternis, distulit illud iter ad futurum ver. Obtulit se autem omnia facere velle, quicquid Rex Romanorum cupit, si ei dabitur pecunia, centum videlicet et sex millia duccatorum pro feriis Aepiphaniarum [z] Domini nunc instantibus. In conviciis [a] istis nostris equestris ordo bellum statuit, tum et contribucionem Regiae Maiestati dedit pro scribendo stipendiario milite. Sed ego nescio, quam futurum est illud bellum foelix, dissidentibus in universum istis hic Senatoribus, qui aperta invidia laborant et ira, ita ut eciam in praesencia regali, in frequenti Senatu haeri [z] tak vielię sobie slowna dawaly, iss wlossi wsthawali, sluchaiączcz abominacionem. Sperabamus inde futurum magnum dissidium, sed quia vetus est illud inter Lithuanos, quod etiam mendacia degluciantur, nihil est inde secutum aliud, praeter offensionem multorum et tantam in principibus [b] viris insolenciam,[c] Palatino Vilnensi [2] die hoc praeterito solis natus est filius, cuius una cum patre natalicia cras universus ordo aulicorum celebrabit.

Moscus Legatus fuit nuper hic Vilnae,[d] ut exploraret de nostris actionibus, victoriam Principis sui de Tartaris acteptam nunctiaverat. Sed is statim est absolutus et dimissus.

Tartari duo Oratores hic sunt, quorum Cozanensis admonet Regiam Maiestatem, ut ne ineat cum Mosco pacem, se enim omnino velle ex

altera parte bellare Ducem hunc atque iuvare Regem, Perecopiensis de stipendio admonet et se, ubi Rex vellet, ire promittit cum suo exercitu. [e] Tu vale. Wilnae, 6 Decembris.[f]

a) *in margine manu Bojanowski*: Iste nolens, verum scripsit. Vere enim convicia sunt.
b) *in ms.* principibus
c) *sequuntur verba expuncta*: qua nihil est turpius
d) *sequuntur verba expuncta.*
e)-f) *manu Bojanowski.*
z) *sic in ms.*
1) *Isabella.*
2) *Nicolaus Radziwiłł « Niger ».*

*N. 1475.*

*Stobnica, 3.I.1555.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de matrimonio filiae ducis [Annae Sophiae] cum duce Megapolensi [Ioanne Alberto I] gratulatur; de regis Vilna in castrum Białowieża ad venationes discessu.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1476.*

*Vilnae, 12.I.1555.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis, M.D.L. supremus marsalcus et archicancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*quod in negotio viduae a duce sibi commendatae nihil adhuc effecerit, propter regis in venationes profectionem et capitanei, qui eam rem regeret, absentiam factum esse nuntiat.*
*(Schedula adiuncta, in qua se excusat, quod propter aegritudinem manu propria subscribere non potuerit)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1477.*

*Wołkiniki, 12.I.1555.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de responso ad legationem ducis ad regem obtinendo se curare non cessavisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1478.

*Bodzętyn (Bodzancin), 13.I.1555.*

*Andreas Zebrzydowski, episcopus Cracoviensis et dux Severiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*viduam et orphanos demortui Alexandri Kurzbach (Corzbog) commendat, nomine suo et etiam nomine Ioannis Kurzbach, canonici sui Cracoviensis, fratris defuncti Alexandri.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1479.

*Vilnae, 14.I.1555.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Casparum Łącki ad ducem Megapolensem ablegat et ad ducem Albertum eum divertere iubet, ut de connubio filiae ducis gratuletur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1480.

*Vierzighuben (Wyerczkup), 2.II.1555.*

*Ioannes Kurzbach (Curdzbach) Witkowski, decanus generalis et canonicus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*viduam fratris sui, demortui Alexandri Kurzbach, et liberos eius duci maximopere commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1481.

*Grodzisko, 11.II.1555.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*capitaneatum Marienburgensem, post mortem palatini Plocensis [Feli-*

*cis Srzeński] in alium translatum, se ambire non posse duci respondet; pro quattuor falconibus venustissimis gratias agit.*

*Sigill.*

*Iam ed. Wotschke, Stanislaus Ostrorog, V.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi litteras Vestrae Illustrissimae Dominationis, quibus primum de obitu et morte Magnifici Domini Palatini Plocensis et Capitanei Marienburgensis me cerciorem fecit, ac subinde benigna commonefactione, propensum et benevolum animum spirante, cohortata est, ut ad eum ipsum capitaneatum adipiscendum animum adiicerem et operam studiumque conferrem, significans postremo pro me autoritatem suam apud quosdam in aula Sacrae Regiae Maiestatis contulisse et ita interposuisse, ut, si ipse negotium hoc egerim et tentaverim, commendationem Vestrae Illustrissimae Dominationis locum fuisse habituram. Ac ut ad singula Vestrae Illustrissimae Dominationi respondeam, vellem, ut pro comperto et explorato habeat capitaneatum Marienburgensem ad alium esse translatum tunc, cum vix adhuc propemodum Magnificus Dominus Palatinus Plocensis diem suum obiisset. Quare etiam si omnes vires et conatus ad eum consequendum postea intendissem, intempestivi et irriti mihi abiissent. Porro quod Vestra Illustrissima Dominatio tantum studii, autoritatis et operae pro me impenderit et posuerit, perspicue declaravit, quam benigna et propensa cura rerum mearum tangatur afficiaturque et quam impense honoribus et fortunis meis faveat. Quo etiam nomine maiores ago et habeo Vestrae Illustrissimae Dominationi gratias, quam ut recensendo et scribendo complecti queam. Ac optarim, ut Vestra Illustrissima Dominatio certum et persuasum habeat, mihi quidem illius capitaneatus praefecturam gratam et iucundam futuram non ulla spe lucri aut commodi, hisce enim artibus praefecturas et honores neque ambio neque ambiam, sed ut propter illam brevem loci intercapedinem saepius gravissimo conspectu et prudentissimo congressu Vestrae Illustrissimae Dominationis perfruerer [a] illique crebra offitia probarem. Sic enim Vestram Illustrissimam Dominationem, patronum et mecenatem meum benignissimum, colendum et observandum suscepi, ut in gratiam eius vitam in discrimen adducere et sanguinem profundere nunquam dubitaverim.

Accepi etiam quattuor falcones venustissimos, abs Vestra Illustrissima Dominatione ad me profectos, specimen et documentum neutiquam vulgatae benignitatis Vestrae Illustrissimae Dominationis erga me, quod etiam munus ac summum praecipuumque venationis oblectamentum, ab optimo Principe profectum, in parte beneficii pono. Ac omni officiorum genere contendam, ut Vestra Illustrissima Dominatio has et alias benigni animi significationes penes hominem gratum et memorem se collocavisse intelligat... Datum in Grodzisko, die XI Februarii, anno Domini 1555

[b] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
addictissimus servitor
Stanislaus Comes a Ostrorog etc.
manu propria subscripsit.[c]

a) *in ms.* perfrueret.
b)-c) *manu propria.*

N. 1482.

*Cracoviae, 3.III.1555.*

*Bartholomaeus Pusch Nissenus.*
*Nicolao Tarło*
*negotiis pecuniariis cum muliere quadam implicatus, intercessionem in aula in hac causa sua expetit.*

*Sigill.*

*(Probabiliter aliis ad ducem litteris annexum)*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1483.

*Vilnae, 9.III.1555.*

*Stanislaus Dowojna, palatinus Polocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*duos advocatos ex ditione sua Rajgrodensi ad ducem proficiscentes, implorandae contra praefectos arcis Lecensis iustitiae causa, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1484.

*Vilnae, 19.III.1555.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro munere sibi a duce per palatinum Marienburgensem allato gratias agit, addit tamen se nulla spe munerum ductum esse, ut duci serviret.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1485.

*Kraśnik, 9.IV.1555.*

*Stanislaus Tęczyński*
*Alberto in Prussia duci*
*de piscatura, retibus minoribus fieri solita, « keutel » dicta, in sinu maris, « Hab » dicto, ad spatium trium annorum submovenda, ut idem sinus, unde reliqua flumina « seminaria piscium » recipiunt, abundantior piscibus reddatur, ducem directe ad regem scribere debere censet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1486.*

*Zblany, 29.V.1555.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Trocensis, capitaneus Lidensis etc.,*
*Alberto in Prussia duci*
*Franciscum Bonium et Ioannem Oberesch, Germanos, graves quasdam iniurias in Livonia perpessos, qui nihil apud magistrum Livoniae [Henricum a Galen], potentia adversariorum obstante, etiam litteris regiis muniti, consequi potuerant, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1487.*

*Petricoviae, 13.VI.1555.*

*Elisabetha de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*multis negotiis in Comitiis Petricoviensibus occupata, petit, ut causa sua et sororis suae cum Alberto Finck, iudice terrestri Hohensteinensi, in aliud tempus differatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1488.*

*Petricoviae, 19.VI.1555.*

*Ioannes Tęczyński*
*Alberto in Prussia duci*
*de studio et diligentia sua in curandis ducis negotiis, quae nunquam in meliore statu fuerint, Assuerum Brandt coram duce testificari posse significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quantam in his, quae mihi per Vestram Illustrissimam Celsitudinem iniuncta erant, negociis diligentiam et operam navaverim, ex Domino Assero [z] Brand, Oratore et Consiliario suo, Vestra Illustrissima Celsitudo cognoscere dignabitur. Nihil enim a me praetermissum esse puto, quod in studiosissimo Vestrae Illustrissimae Dominationis servitore desiderari possit. Itaque si conatui meo successus respondit, Vestra Illustrissima Celsitudo grato animo suscipere, si vero non ex sententia animi negotia hoc tempore confecta [a] sunt, boni consulere dignetur, plurimum rogo. Mea quidem sententia nunquam negotia Vestrae Illustrissimae Celsitu-

dinis in meliori statu atque nunc fuerunt... Datum Petricoviae, XIX Iunii, anno Domini 1555.

[b] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor perpetuus
Ioannes Comes in Thancin,
manu propria subscripsit.[c]

a) *in ms.* confectae
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1489.*

*Petricoviae, 19.VI.1555.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de studio et diligentia sua in rebus ducis curandis et promovendis ex Assuero Brandt ducem cogniturum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1490.*

*Petricoviae, 20.VI.1555.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*se nuntium ducis in Comitiis Regni non multum adiuvare potuisse asserit ob repentinam eorundem Comitiorum dissolutionem, in quibus alioquin nihil tale constitutum sit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1491.*

*Petricoviae, 20.VI.1555.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*curae et diligentiae suae in perficiendis negotiis ducis Assuerum Brandt testem esse ipsumque de omnibus duci relaturum esse sperat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1492.*

*Brzeżany, 28.VII.1555.*

*Nicolaus Sieniawski, palatinus Russiae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*decem equas dono mittit et scribit aliqua nova de Turcis et eorum conatibus in Transilvania etc., de Tartaris Moscoviam depopulantibus et de extremo periculo Hungariae imminente.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Accepi litteras a Vestra Illustrissima Dominatione per servitorem eiusdem, Nobilem Stanislaum Rinda, quae me magnopere exhilaverunt. Quum ex eis intellexi Vestram Illustrissimam Dominationem optima valetudine frui ac erga me, servitorem suum, fore gratiosissimam, pro quo ego summas, quas possum, ago et habeo Vestrae Illustrissimae Dominationi gratias. Continebantque he littere Celsitudinis Vestrae, quod Nobilis Marcellus Konarski, affinis meus et Illustrissimae Dominationis Vestrae servitor, de me mentionem coram Illustrissima Dominatione Vestra habuerit et me Celsitudini Vestrae in gratiam commendaverit.

Et si ego, Illustrissime Princeps, a multis annis ex animo propenso erga Dominationem Vestram Illustrissimam extiti, cupiens semper in omnibus rebus mihi licitis Vestrae Celsitudini gratificari ac mea benivola ac promptissima offitia declarare, si aliquando per occasionem veniret, et de hiis non tantum coram servitore Celsitudinis Vestrae, Nobili Konarski, qui eam famam de me ad Illustrissimam Dominationem Vestram detulit, sed ante ea coram multis Vestrae Celsitudinis servitoribus ea offitia mea promptissima ac paratissima declaravi eoque animo semper fui, ut possem meis offitiis et propensa benevolentia me in gratiam Celsitudinis Vestrae commendari. Sed cum nulla data fuit hucusque licita et idonea occasio, qua possem eam gratitudinem meam non verbis tantum, sed re ipsa exibere et testatam reddere, volui nihilominus minimis istis signis ostendere affectum meum syncerum erga Celsitudinem Vestram, videlicet ut si ex gregibus meis equas aliquot Vestra Illustrissima Dominatio habere vellet, illas ego promptissimo animo hilarique fronte missuras[z)] Celsitudini Vestrae coram Nobili Konarski pollicebar. Quum autem intellexi eum animum Vestrae Illustrissimae Dominationis fore, quod velit habere a me equas praefatas, mitto easdem Vestrae Illustrissime Dominationi per meum servitorem, Nobilem Iacobum Niegoliewski, numero videlicet decem, quinque ex gregibus Miedzibozensibus et quinque ex gregibus Brzezani. Praecorque Illustrissimam Dominationem Vestram, ut non pro dono aliquo vel munusculo illas a me accipere, sed tantum pro signo propensae benevolentiae meae ac gratificandi studio offitiorum meorum, erga Celsitudinem Vestram semper addictissimorum, suscipere gratiose dignetur et de me meisque offitiis semper sibi persuadere, tanquam de servitore suo proprio. Et in quibuscunque rebus, mihi licitis et idoneis, possem hic Vestrae Illustrissimae Dominationi inservire, inveniet me semper Illustrissima Dominatio Vestra paratissimum et addictissimum.

Novarum rerum hic nihil habetur, quae digna[z] essent ad significandum Celsitudinis[z] Vestrae, hoc solum, quod Turcam aiunt in Amaza eo tempore esse, quindecim dierum spacio a Constantinopoli. Narraturque ab his, qui de Constantinopoli veniunt, eundem foedus ad aliquod[z] annos cum Rege Persarum, alias Zophi, inire et iam in animo constituisse omnes suas vires convertendas contra Principes christiani nominis, et futura vaere[z] vel estate Hungariam invadere et ad finem illam totam in potestatem suam adducere. Nunc vero mandavit Palatinis seu Waiwodis Moldaviae[1] et Multaniae,[2] Turcisque Bialogrodecensibus, Tehinensibus, Sylistriensibus, una cum Tartarorum copiis, ut, si Serenissimus filius[3] Regis Ioannis Hungariae pro autumno proxime futuro non intrabit in terras Transilvaniarum ad eiusdem vocationem, et postulata[z] iam non semel per eius Nuntios factam et nunc denuo per Oratorem Serenissimi Regis Gallie[4] renovatam, ut illas terras Transilvaniarum omnes praefati invaderent et vastarent ferro et igne. Quod Deus Omnipotens avertat et eorum conatus et tyrannidem illam in nihilum redigere pro sua clementia dignetur. O utinam christiani Principes iam iam ex gravi somno excittarentur et huic misero Regno, manus ad eos porrigenti et flebiles oculos erigenti, voces lamentabiles audirent et eis suppetias ferrent! Nam si futuro anno negligent auxilium miseris incollis[z] illius Regni praebere, iam certo ad finem periclitabitur et in potestatem thiranni Turcico[z] subicietur, in maximam contumeliam et opprobrium (proh dolor) omnibus Principibus christianorum.

Tartari Praecopienses cum Duce suo nunc incursiones faciunt et depopulationes exercent in provinciis Ducis Moscorum,[5] magno cum exercitu ac tormentis bellicis, necdum rediere ad campos et stationes suas. Cetera, que hic apud nos aguntur, intelliget Illustrissima Dominatio Vestra ex hoc servitore meo...

Ex Brzezani, XXVIII Iulii, anno Domini MDLV.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
servitor
Nicolaus a Sieniawa, Palatinus Terrarum
Russiae Generalis Exercituumque Regni Poloniae
Campestris, Haliciensis Colomiensisque etc.
Capitaneus.

z) *sic in ms.*
1) *palatinus Moldaviae Alexander Lapušneanu.*
2) *palatinus Multaniae (Valachiae) Patrascu cel Bun. (Bonus).*
3) *Ioannes Sigismundus.*
4) *Henricus II.*
5) *Ioannes IV Basilides.*

*N. 1493.*

*Wojniłów, 11.VIII.1555.*

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro equo sibi dono misso gratias agit.*
*(Polonice, cum summario germanico)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1494.*

*Vilnae, 3.IX.1555.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*exempla diplomatum in negotio archiepiscopi Rigensis [Gulielmi marchionis Brandenburgensis] et alia documenta mittit.*
*(Documenta, quae mittit, in Archivo desunt)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1495.*

*Vilnae, 3.IX.1555.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Henricum Hoffmann, ad ducem proficiscentem, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1496.*

*Lisowo, 6.IX.1555.*

*Ioannes Tomicki, castellanus Rogoznensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de colloquio suo cum Gulielmo Skrzynecki (vel Krzynecki, Skřinecký, Křinecký), Bohemo, et cum concionatore ducis, Ioanne Funck, refert et de Ecclesiarum reformatarum conciliatione gaudet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissime Princeps. Significo gratam et periucundam mihi hic fuisse consuetudinem cum Generoso viro, Domino Vilhelmo Skrzynyeczki, simul et cum doctissimo Celsitudinis Vestrae contionatore, Iohanne Functio. Quibus cum de sacrosancto religionis negotio fraterne saepius collocutus, id quod summe cupiebam, quum assecutus essem, continere me nullo modo potui, quin has praesentes litteras, testes observantiae meae erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram, scriberem [a] eique meum vere [b] christianum gaudium significarem, quali ex conciliatione Ecclesiarum affectus sum. Quo Celsitudinis Vestrae ardor in Ecclesiam Dei magis magisque incalescat post eos verbi divini successus atque ita Illustrissima Celsitudo Vestra ad sinceram Ecclesiae reformationem aspiret, qua praecidantur omnes iniquorum de nobis querellae et scandala.

Blassuemant enim nomine Dei inter inimicos gloriae Christi propter eos, qui vitam doctrinae evangelicae contrariam ducunt. Quo animo nos atque iniusti Ecclesiarum in Polonia hanc disciplinam inivimus, et Dominus Vilhelmus et Dominus Functius Illustrissimae Celsitudini Vestrae abunde referent.

Et prudentia et aetate longe inferior, ausus sum Illustrissimam Celsitudinem Vestram admonere, non quo id non perspicere Illustrissimam Celsitudinem Vestram existimem, sed ut ea in re, ut in aliis omnibus, animi mei erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram promptitudinem declarem... Datum in Lissowo, die 6 Septembris, anno Domini 1555.

[c] Illustrissime Sue Celsitudinis
additissimus servitor
Ioannes de Thomicze, Castellanus Rogoznensis
subscripsit.[d]

a) *in ms.* scriberim
b) *in ms.* verae
c)-d) *manu propria.*

*N. 1497.*

*Stobnica, 25.IX.1555.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*tres equos dono mittit, duci unum, ducis genero, duci Megapolensi* [*Ioanni Alberto I*], *unum et filiae ducis* [*Annae Sophiae*] *unum; alios ex Russia mittere promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1498.*

*Vilnae, 1.X.1555.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio limitum inter Ducatum Prussiae et Magnum Ducatum Lithuaniae definiendorum se cum rege egisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

De partibus, Samogithiam a Prussia terminantibus, ex promissione Sacrae Regiae Maiestatis Illustrissimae Celsitudini Vestrae tradendis, egi, ut ipsa volebat, cum illius Maiestate et copiose et sedulo, intellexique Sacram Maiestatem Suam huic Illustrissimae Celsitudinis Vestrae peti-

cioni eo modo assensisse, ut quae ex pactis ad illam pertinerent, illi citra controversiam, lustratae tamen et recognitae prius, traderentur ac permitterentur. Ad quam rem quod Magnificus Dominus Castellanus Trocensis [1] est ibi per Maiestatem Regiam deputatus atque delegatus, non video, in quo regiae promissioni minus satisfiat. Bona enim Koczicze appellata, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae iam ex nunc concedantur, a Maiestate Sua iussum est, reliqua lustrari ac cognosci per ipsum Sacraeque Regiae Maiestati significari prius debent, ut, si rei necessitas postularet, ipsa sese in eam provinciam revidendorum ac finiendorum istorum ibi limitum causa conferret, sin per alium quempiam transigi atque confici negotium possit, ita commodius, melius firmiusque conficeretur, re nimirum poenicius cognita et introspecta. Quod quin sit cum utriusque provinciae summo ac singulari futurum emolumento, existimare Illustrissimam Celsitudinem Vestram pro sua prudencia confido, cum ad diuturnitatem stabiliora sint ea, quae recti iudicii racio et studium accuratum, lente licet, recte tamen ac bene conficit... Datum Vilnae, 1 Octobris, anno 1555.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Hieronymus Chodkiewicz.*

*N. 1499.*

*Vilnae, 2.X.1555.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de custodibus teloneorum in civitatibus ducis instituendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ad observandos eos, qui in Samogithia et Magno [Lithuaniae Ducatu merces] [a] suas per fraudem debitis consuetisque subducunt theloneis, ut consensu Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in oppidis suis: Mimmel, Tilsa, Ragnetha et Labia aliquis a Sacra Regia Maiestate custos praeficeretur, iussu Maiestatis illius detulisse me ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram per Dominum Cristopherum Ionam, Consiliarium suum, memini. In quo, quia res nova scilicet et antehac civitatibus suis insueta ad Rempublicam magis, quam ad ipsam videretur pertinere, sumpsisse sibi deliberandi spacium et cum subditis suis mutuo ea de re consultandi, ut cupiebat, Sacrae Regiae Maiestati retuli moramque hanc, quantum potui, pro mea erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram observancia excusavi. Quae quin sit ad tam iustam Sacrae illius Maiestatis postulacionem optatum aliquem eventum allatura, non dubitat Maiestas ipsius, praesertim cum id non cum suo tantum, sed etiam cum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae futurum sit commodo et utilitate, nihilque novum aut insuetum censere debeat, quod boni alicuius causa infertur et in quo nullus subest iacturae aut detrimenti metus.

Proinde nunc etiam iterum Illustrissimam Celsitudinem Vestram rogo plurimum, ut ad hanc Sacrae Regiae Maiestatis sentenciam suam quoque voluntatem adiungat, communicatoque, ut sibi necessarium esse scribit, cum hominibus suis consilio, de ea litteris suis significet, ut scire mature possimus, an quid in eo proposito Sacrae Maiestati Regiae studendum sit. Idque Illustrissimam Celsitudinem Vestram, pro suo erga Regiam Maiestatem amore et studio, effecturam esse non dubito. Quicquid enim a delinquentibus mulctae nomine per custodes regios exactum fuerit, id omne parte dimidia, quemadmodum per eundem Dominum Cristopherum Ionam significavi, futurum est Illustrissimae Celsitudini Vestrae comune... Datum Vilnae, 2 Octobris, anno 1555.

[b] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. manu propria subscripsit.[c]

a) *foramen in charta.*
b)-c) *manu propria.*

*N. 1500.*

*Poltoviae, 8.X.1555.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio [regundorum finium] transigendo.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1501.*

*Balice, 19.X.1555.*

*Ioannes Boner, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*post mortem Stanislai Bojanowski, amici sui et fidelissimi ducis servitoris, remittit non lectas aliquot ducis epistolas, penes defunctum inventas.*

*Sine sigillo.*

*H B A, B 2, K.385.*

*N. 1502.*

*Posnaniae, 5.XI.1555.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro quattuor falconibus sibi dono missis gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1503.

*Posnaniae, 6.XI.1555.*

*Iacobus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*pro quattuor falconibus sibi dono missis gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1504.

*Posnaniae, 7.XI.1555.*

*Ioannes Tomicki, castellanus Rogoznensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro falconibus anno praeterito et etiam hoc anno sibi missis gratias agit et gaudet se tantis favoribus affici a principe,* « quo nullus nunc vivit praestantior et propagandae verae gloriae Christi studiosior ».

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1505.

*Vilnae, 11.XI.1555.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro optimis piscibus, in his locis rarissimis, dono sibi missis gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1506.

*Sieprc, 11.XI.1555.*

*Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*subditos suos profugos, cum rebus ac iumentis universis in ditione ducis latitantes, a Christophoro Polenz (capitaneo in Schönberg) retentos, sibi restitui petit; rogat, ut negotium suum et sororis suae, Elisabethae de Sieprc Brudzewska, palatinae Lanciciensis, cum Alberto Finck, iudice Olsthinensi (Hohensteinensi), de bonis Mielno morte Gregorii (vel Georgii) Obornicki ad se devolutis, intercessione ducis iam demum terminetur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1507.

Danaborz, 18.XI.1555.

*Ianussius Kościelecki, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per nobilem Stanislaum Tchórzewski, a se olim duci commendatum, nunc Regiomontum revertentem, ducem salutat et pro liberalitate, qua eundem Tchórzewski prosequitur, gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1508.

Vilnae, 9.XII.1555.

*Nicoιaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se apud regem effecisse scribit, ut ad magistrum Livoniae [Henricum a Galen] nomine regis in rebus ducis nuntius mitteretur, Casparus Łącki, servitor suus.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ego, ut omnibus aliis in rebus Illustrissimae Celsitudini Vestrae morem perlibenter gero, ita quoque et in eo negocio, quod ad me per Generosum virum, Dominum Ioannem Lohmullerum, Consiliarium Nunctiumque suum, perferri ac apud Sacram Maiestatem Regiam, Dominum nostrum clementissimum, opera studioque meo promoveri cupiebat, gessi haudquaquam gravatim. In eo enim nomine et authoritate Suae Maiestatis prosequendo ac conficiendo, ut ex peticione Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Nunctius in Livoniam mitteretur, effeci, maximeque is, quem illi non modo non improbatum, verum etiam peculiariter comendatum iri ex eodem Domino Consiliario audivi, servitor nempe et alumnus meus, Generosus Caspar Łanczky, iuvenis Illustrissimae Celsitudini Vestrae non incognitus. Qui quantumcumque ibi in iis rebus effecerit (spero autem effecturum esse ex sentencia), ut primum habuero cognitum, Illustrissimae Celsitudini Vestrae significare non negligam.

Caeterum de capta per Regem Sweciae[1] Moscorum Narva deque caesis ibi illorum militibus rem actam esse, etiam apud nos fama increbrescente certum est. Quod quia mihi Illustrissima Celsitudo Vestra, ut rem nimirum gratam ac iucundam auditu comunicare non sit dedignata, gratias illi eo nomine ago habeoque plurimas... Datum Vilnae, 9 die Decembris, anno Domini 1555.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Gustavus I.*

N. 1509.

*Posnaniae, 9.XII.1555.*

*Lucas a Górka, palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Eustathium Trepka in certis negotiis suis ad ducem mittit rogatque, ut ei credulam aurem propendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1510.

*Vilnae, 9.XII.1555.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*in causa litterarum moratoriarum, Antonio Bogner a rege concessarum et a Gedanensibus, veluti nullius valoris, spretarum, se cum rege ex sententia ducis egisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

N. 1511.

*Konin, 20.XII.1555.*

*Stanislaus Lutomirski, Koninensis ecclesiae minister,*
*Alberto in Prussia duci*
*ab episcopis et praelatis oppressus, nomine suo et aliorum confidelium suorum rogat, ut eis in casu necessitatis sub praesidium ducis recursus pateat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.385.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Gratiam et pacem in Christo Iesu Domino et Deo nostro, florentemque in omnibus pietatis studiis ac officiis Ecclesiam per Rempublicam precor etc. Defero simul promptissimum animi mei obsequendi studium Illustrissimae Celsitudini Vestrae, multis gravissimis ex causis devotum deditissimumque. Toto enim pectore memoriam nominis tui venerantur et suspiciunt, quoquot sunt flagrantes verae pietatis studio, robur Spiritus Sancti invictum in Celsitudine Vestra agnoscentes, quod furoribus Sathanae expugnari non potuit. Omnipotens opus suum, in Illustrissima Celsitudine Vestra iam olim coeptum, ut ad nominis sui aeterni gloriam,

cum salute perenni Amplitudinis Vestrae et multorum, perficiat, praecor. Amen.

Illustrissime Princeps, institueram in Lithuaniam iter, ut trium parochiarum importabilia onera, quibus ferendis humeri mei non sufficiunt, deponerem ac Regiae Maiestati curam illarum (utpote Domino illarum temporali) resignarem. Hoc institutum meum quod non sim exequutus, varii indultus [a] Praelatorum, ut vulgus vocat, maxime autem Archiepiscopi [1] impediverunt. Suaserunt etiam amici, ne me tanto tamque periculoso itineri committerem, praesertim tot et tantis ac tam potentibus inimicis vitae meae insidiantibus. Maxime vero quum liceret ea, que vellem interventu amicorum per literas Regiae Maiestati in noticiam deducere. Caessi [z] itaque amicorum consilio ac per literas Regi ea, que institueram, detuli. At amici, nimia animi sui mollitie victi, literas meas Regiae Maiestati exhibere sunt veriti, metuentes, ne Sua Maiestas, Legato Pontificio [2] gratificari volens, id, quod ipse ultro postulo (officium pastorale), a me alienaret. Quorum teneritudine et carnali tergiversatione ingens sane animo meo parta est molestia. Nam integris his mensibus sex varios tentationum insultus sustinui, Archiepicureo Gnesnensi cum suis Veneriabilibus fratribus vim mihi adhibere parantibus. Quibus quia manifesta vis non successit, calumniis variis opprimere me gestiunt. Et, ut audio, Sacram Regiam Maiestatem, irretitam suis technis, captum tenent, praecipiti credulitate sua, ne irrecuperabile damnum salutis suae adeat. Valde metuo. Romanistae sunt artifices summi perdendorum Regnorum etc. etc.

Multi opibus insignes et magni nominis apud nos viri, pietatis verae alumni, quibusdam haud vanis coniecturis inducti, ominantur tyrannidem apud nos propediem invalituram, qua vineam Domini Sabaoth, divinitus plantari coeptam, excindere ac exterminare conabuntur Antichristi satellites, Regis et praecipuorum Regni procerum freti praesidio. Horum piorum virorum nonnulli, cum intellexissent me consilium adeundae Illustrissimae Amplitudinis Vestrae coepisse (decreveram enim in redeundo ex Lithuania deflectere Regiomontem), rogarunt, explorarem animum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, num pietatis gratia pulsi, facultatibus suis convasatis ac collectis, sub umbram alarum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae possent sese tuto recipere. Ego, hoc animi illorum robur admiratus (sunt enim senatorii ordinis), collaudavi, Deum praecatus, ut eorum animos fumigantes igne amoris sui accenderet potentissime.

Interea, ne consilia Dei et iuditia eius arcana praevertere ac penitus scrutari vellent, admonui etc. Qui, admonitione non reiecta, nihilominus, ut haec Illustrissimae Celsitudini Vestrae referrem, petierunt. Quum itaque haec mihi agere et literas illorum (quibus haec mecum tractaverunt) in medium coram proferre non liceat, rogo, Illustrissima Celsitudo Vestra, ita ut coepit, pergat Ecclesiam Dei exulantem nunc pia sua benignitate fovere. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Si itaque nos casus aliquis, paterna coelesti providentia ita disponente, hinc exturbaverit, pateat nobis, aut saltem aliquibus nostrum, sub praesidium Illustrissimae Clementiae Vestrae recursus. Interea precor, ut Pater aeternus Domini ac Dei nostri Iesu Christi larga sua coelesti benedictione Illustrissimae Celsitudini Vestrae, coniugi et liberis eius suavissimis,

omnia dona sua cumulet. Amen. Datum in oppido Conin, 1555, Decembris 20.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
deditissimus
Stanislaus Liuthomirski, Coninensis Ecclesiae etc.
Minister, Regius Secretarius, manu sua subscripsit.

a) *in margine.*
z) *sic in ms.*

1) *Nicolaus Dzierzgowski.*
2) *Aloisius Lippomanus.*

*N. 1512.*

*Vilnae, 23.XII.1555.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*se cum genero suo, terrarum Prussiae thesaurario, omni diligentia egisse significat, ut debita duci annua pensio quam citissime exsolveretur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.385.*

# 1556

*N. 1513.*

*Marienburgi, 12.I.1556.*

*Lucas Baliński, vicecapitaneus Marienburgensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de cingulo et argentea patina Annae Sophiae, ducissae Megapolensi, filiae ducis Alberti, furto ablatis et Marienburgi repertis, ab ipso Baliński in tuto positis.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*(Annexa, germanice scripta, de eadem re: 1. litterae Annae Sophiae ad Lucam Baliński; 2. litterae cuiusdam burgravii ad Lucam Baliński; 3. litterae Annae Sophiae ad Carolum a Zahelau; 4. litterae Iacobi a Schwolle ad Annam Sophiam).*

*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1514.*

*Ronnenburgi, 21.I.1556.*

*Casparus Łącki, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*ad legationem suam, qua ad magistrum Livoniae [Henricum a Galen] regis nomine perfunctus erat, nullum se certum obtinuisse responsum significat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime ac Excellentissime Princeps *etc.*

De legatione Sacrae ac Serenissimae Maiestatis Regiae, Domini Domini mei clementissimi, qua apud Ordinis in Livonia Magistrum sum nuper perfunctus, non dubito, quin Illustrissimam Celsitudinem Vestram cum ex aliorum, tum vero ex Domini Balthazaris Gans, sui apud Reverendissimum et Illustrissimum Principem, Dominum Archiepiscopum Rigensem,[1] Internunctii, litteris, et abunde et copiose perspexit. Proinde non puto necessarium esse, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae ea de re prolixius perscribam, hoc solo apposito, quod quia mihi ad postulacionem et consilia Regiae Maiestatis nihil certi, quemadmodum cupie-

bam, responsum est, sed simpliciter de mittendo responso moram sibi deliberandi in proximum provincialem conventum, quem eo nomine esset indicturus, Magister sumpserit, responsum eiusmodi, ut nullum, ita quoque Regia Maiestate indignum, noluerim actipere, idque, quod Suae Reverendissimae et Illustrissimae Celsitudini, ad cuius arbitrium meam etiam in omnibus adferebam voluntatem, hoc maximopere ex re et commodo istius negotii fore visum est. Cetera Illustrissima Celsitudo Vestra ex aliis, ut opinor, melius. Ego, cum apud eius Archidiocesis colegium rem ipsam expediero, quicquid hoc erit, quod impetrabitur, non negligam Illustrissimae Celsitudini Vestrae litteris quoque meis perscribi... Datum in arce Roneburgensi, die XXI Ianuarii, anno Domini MDLVI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
addictissimus servus
Caspar Lączski, Sacrae ac Serenissimae
Regiae Maiestatis Secretarius, subscripsit.

1) *Gulielmus marchio Brandenburgensis.*

*N. 1515.*

*Strasberg, 4.II.1556.*

*Ioannes Krotowski, castellanus Inovladislaviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro palatina Lanciciensi vidua, ut dux in lite sua de pago Mielno (Mellen) inter dictam viduam et iudicem Finck intercedente, commissarios designet.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1516.*

*Stobnica, 7.II.1556.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prusſia duci*
*consilium ducis exposcit in causa litis inter filium suum, castellanum Krzywinensem, et dominum a Górka (Lucam?).*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

N. 1517.

Ujazd, 11.II.1556.

*Martinus Zborowski iunior, castellanus Krzywinensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*acta causae suae (cum domino a Górka), polonico sermone conscripta, duci mittit (quae tamen non reperiuntur) causamque ipsam commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

N. 1518.

Vilnae, 27.II.1556.

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de forma citationis in Cancellaria regia et de modo procedendi in causis iudicialibus, etiam in causa commendati sibi a duce proconsulis Elbingensis, stricte observando secundum constitutiones terrarum Prussiae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissime Princeps, una et eadem est et perpetuo semper fuit in Cancellaria regia citationis forma, quae ab initio observata in hodiernum usque diem usurpatur. Secundum quam hoc quoque tempore citatus est Honestus Iacobus Rika, Proconsul civitatis Elbingensis. Pars autem citata seu rea posteaquam comparuit, et actor sive coram ipsa Regia Maiestate, sive iis iudicibus, ab ipsius Maiestate ad hoc deputatis, accusationem suam proposuit, ac animadversum fuerit ab actore contra constitutiones terrarum Prussiae quacunque ratione[a] commissum esse, ipso reo absoluto, pars agens secundum contenta praedictarum constitutionum poenam incurrit. Id observatum est semper et in hoc quoque negocio Proconsulis Elbingensis suo tempore stricte observabitur.

Quoniam autem omnes causae Prutenicae in alium terminum generali Sacrae Regiae Maiestatis limitatione sunt reiectae, de hoc quoque negocio ante praefinitum tempus statui haud quidquam potest. Veniente autem termino, quicquid et observantia erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram mea et aequitas iustitiaque ipsa postulaverit, non patiar in me quidquam desiderari, ita ut experiatur Illustrissima Celsitudo Vestra me intercessionis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae pro memorato Proconsule ratione habita hoc effecisse, quod debere me Illustrissimae Celsitudini Vestrae agnosco semperque hactenus studiose praestiti... Datae Vilnae, 27 Februarii, 1556.

[b] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae Vicecancellarius
subscripsit.[c]

a) *verba:* quacunque ratione *linea subducta sunt.*

b)-c) *manu propria.*

## *N. 1519.*

*Vilnae, 14.III.1556.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras moratorias semel a rege impetratas nullatenus labefactari vel infringi posse asserit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissime Princeps. Nec concessum aliquid est hactenus, nec in posterum concedetur, quo literae moratoriae, a Sacra Regia Maiestate per Antonium Bogner, civem Regiomontanum, intercessione Illustrissimae Celsitudinis Vestrae obtentae, labefactari, nedum infringi possent. Tentavit quidem nonnihil ea in re Iohannes Pelken, civis Gedanensis, qui tamen praeter hoc, quod iuris esse videbatur, haud quidquam obtinuit. Retulit is, quod a dicto Antonio Bogner ante tempus obtentarum moratoriarum quasdam merces solutionis nomine acceperit, quas ipsas nunc, impetratis moratoriis, iste arrestari fecit. Cum autem literae istae non praeteritum, respectu scilicet temporis, quo aeditae sunt, sed futurum tempus concernant, eo ipso, quod memorato Pelken concessum est, illa, quae in potestatem suam prius recepit, retinere et tanquam sua propria sibi vendicare, haud quidquam triennali immunitati derogatum esse existimo. Ac tantum ille, Illustrissime Princeps, in hoc negocio impetravit. Aliud rescriptum regium, quo retractari seu infringi prior concessio possit, nec datum est, nec ante tempus triennale elapsum vel ipsi vel cuiquam alteri concedetur... Datae ex Vilna, die 14 Martii, 1556.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae vicecancellarius
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

## *N. 1520.*

*Stobnica, 28.III.1556.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*filium a se diutius retentum excusari petit; eundem filium in Galliam se mittere velle significat; aliquas novitates ex Hungaria refert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Filium meum apud me hactenus retinui propter multas causas ac hic rursus trado ac commendo, ut filium et servum Tuae Celsitudinis. Venisset[a] citius, nisi ego et negocia quedam obstitissent. Summopere

itaque, Clementissime Princeps, te rogo, si quid mora sua in hoc et pretermisit et peccavit, ut sibi ignoscat, eaque benignitate et amore prosequere,[z] ut et antea, erga me et totam familiam meam sit quoque benivola ac gratiosum se exhibeat,[b] maiorem in modum peto. In quibuscunque potero Tuae Celsitudini cum tota familia mea inservire et gratifficari, sciat ac sibi persuadeat me sedulo facturum. Brevi, volente Deo, in Russiam proficiscar ac tandem in Maiorem Poloniam. Hoc iter ubi perfecero, Tuam Celsitudinem anno hoc conveniam ac latius hisce de causis cum Tua Celsitudine colloquar. Statui quoque mittere filium hunc in Franciam, hac tamen ratione, si Tua Celsitudo (cuius consilio in hoc utar) alio non suaserit.

Novitates: Advenit, Illustrissime Princeps, nuntius in domum meam ex Ungaria, magnas copias millitum, bene instructas ad conflictandum, missas esse a Caesare Turcarum in Ungariam, esse tamen quietos et pacificos. Quod facturi sint, Deus novit. Quendam quoque nomine Bebek[1] magnum exercitum habere, et undiquaque obsedisse civitatem Lewocza ac multa mala nostris facere Ungaris. Civitates et castra, que potest, sub potestatem suam subicit. Qui tametsi Regine Ungarorum[2] iuramentum prestitit, tamen illis maximam vim infert, dicens se ex iussu et mandato filii[3] olim Ianussii Regis facere. Sed non mirum, et antea multi Ungari in hoc ipsum facinus inciderint.[z] He sunt novitates, Illustrissime Princeps. Scriberem pluras[z] et meliores, verum nihil aliud perlatum est... Datum Stobniciae, sabbato ante dominicam Palmarum, anno Domini MDLVI.

Tuae Celsitudini dedittissimus
Martinus a Sborow, Pallatinus Calissiensis,
Schidloviensis, Stobnicensis, Odalanoviensis
etc. Capitaneus
[c] manu propria subscripsit.[d]

a) *in ms.* Venısse
b) *in ms.* exhibe
c)-d) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

1) *Franciscus.*
2) *Isabella.*
3) *Ioannes Sigismundus.*

*N. 1521.*

*Grodzisko, 31.III.1556.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*duos equos, « corpore quidem pusillos, sed virtute praestantes », ad venationes aptos, mittit; cetera Eustathium Trepka nomine suo duci relaturum esse scribit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1522.*

*Cracoviae, 4.IV.1556.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio piscationis in sinu maris Hab se ad regem scripsisse nuntiat, et etiam ad Regni vicecancellarium [Ioannem Przerembski] litteras dedisse, ut negotium hoc promoveret.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1523.*

*Wiewiórka, 6.IV.1556.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio piscationis (in sinu Hab) se ad regem scripturum promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1524.*

*Regiomonti, 6.IV.1556.*

*Ioannes Kochanowski*
*Alberto in Prussia duci*
*oculorum morbo laborans, in Italiam profecturus, subsidium pecuniarium expetit.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Annus iam fere agitur, cum utor Illustrissimae Celsitudinis Vestrae amplissimis benefitiis, quae eo sunt mihi visa ampliora, quod absque ullis meis meritis ullisque meis offitiis mihi evenerunt. Pro his ego Illustrissimae Celsitudini Vestrae ingentes ago gratias agamque, quoad vixero, semper atque in posterum me fore Illustrissimae Celsitudini Vestrae addictissimum polliceor. Idque non gravate fatiam, Illustrissime Princeps, nam nemo est ex universis Christiani Orbis Principibus, cui ego libentius meam operam, si modo alicuius momenti esse posset, deferrem et quem studiorum meorum ducem atque fautorem eligerem magis, quam Illustrissimam Vestram Celsitudinem. Quare utinam modo sit aliqua ingenii mei dexteritas, omnem hanc, me hercle, ego augendae dignitati iussisque exequendis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae impendero.

Nunc, quum morbus iste oculorum, cum quo iam pridem conflictor, indies periculosior magis comparet, proficisci in Italiam constitui. Eum enim diutius ferre non possum, tum quod mea studia remoretur, tum

quod me facit inutile pondus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae. Quare peto, ut id mihi facere liceret bona venia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae. Quamvis autem meae copiae in eam sunt coactae angustiam, ut videantur requirere solitam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae munificentiam, tamen ego sum ita verecundus, ut nihil petere ab Vestra Illustrissima Celsitudine ausim. Puto tamen etiam in hac re Illustrissimam Celsitudinem Vestram meis studiis meaeque calamitati consulturam et mihi aliquid saltem cum spe divinae repensionis largituram. Cum his me totum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae favori commendo atque clementiae... Datum in Monte Regio, die sexta Aprilis, anno Domini 1556.

Illustrissimae Celsitudini Vestrae addictissimus
Ioannes Cochanowski.

*N. 1525.*

*Vilnae, 14.IV.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*quoad controversiam inter magistrum Livoniae* [*Henricum a Galen*], *archiepiscopum Rigensem* [*Gulielmum marchionem Brandenburgensem*] *et capitulum Rigense, ex oratore suo ducem omnia melius intellecturum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quae a misso Sacrae ac Serenissimae Regiae Maiestatis in Livoniam Oratore usque huc inter Ordinem, Reverendissimum ac Illustrissimum Principem Dominum Archiepiscopum eiusque Rigensium Canonicorum colegium, cum alias privatim, tum vero Wolmariensium ista dicta de illius Maiestatis clementi et perbenigna postulacione agitata sunt, quia melius ac locuplecius ex Clarissimo hoc viro, Domino Ioanne Hoffman, iuris Doctore, Comite Palatino[z] ad Maiestatem Suam de eisdem a Sua Reverendissima Celsitudine Illustrissimoque Megapolensium Duce,[1] Oratore et Legato, una cum his, quae hic summa fide, singulari iudicio et prudentissime et honestissime diligentissimeque simul, homo nimirum praeter peculiarem quandam eloquenciae laudem, admirabili etiam morum honestate praeditus, prosecutus ac consecutus est, Illustrissima Celsitudo Vestra cognoscet, non putavi non necessarium esse, ut quid scriberem. Tamen hoc unicum mihi isto in loco adiiciendum leviterque praestringendum iudicavi, perspicere me non obscure prohemia eiusmodi, ut ibi edita sunt, eo vehementer declinare. Quod Illustrissima Celsitudo Vestra per Spectabilem et Magnificum Dominum Tarlonem, Castellanum Radomiensem,[2] nuper admodum ad Sacram Regiam Maiestatem perferendum curavit. Quibus omnibus de rebus quae sit Sacrae illius Maiestatis cogitacio et sentencia, quae item Illustrissimae Celsitudinis Vestrae deliberacio atque consilium, quia utrinque non satis commode nec satis tuto communicari tractarique mutuo per litteras potest, existimo, quod brevi Sacra eius Maiestas ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram eum mittet, qui cum ipsa suo nomine melius de his presens et agere et compo-

nere queat. Interim Illustrissima Celsitudo Vestra, re ex ipso Domino Oratore poenitius introspecta, caetera, quae expedire maxime nunc negotio videbuntur, apud Principes, ubi ubi id opus erit, per eundem dignabitur praestare de meque sibi, quod de amicissimo, studiosissimo observantissimoque simul, certo persuadebit ac pollicebitur, omniaque a me hominis faventissimi expectabit officia. Datum Vilnae, 14 Aprilis, anno 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

1) *Christophorus.*
2) *Gabriel Tarło.*

*N. 1526.*

*Nekla, 27.IV.1556.*

*Ianussius Kościelecki, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*quamquam mandato regio certis ex causis sancitum sit,* « ne equi ultra fines Regni a quopiam educerentur », *se tamen in gratiam ducis aulico eius, Andreae Ionas, permisisse nuntiat, ut decem equos in Polonia coemptos in Bohemiam ducere posset.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1527.*

*Wołkiniki, 4.V.1556.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*ob* « quaedam negotia gravia, quorum conficiendorum causa aliquot dies a negotiis Livonicis intermittere nos oportebit », *puerum ducis nunc remittit, per cubicularium regium omnia, quae ad ducem pertinebunt, brevi transmissurus.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1528.*

*Bydgostiae, 13.V.1556.*

*Nicolaus Łącki, castellanus Camenensis,*
*Casparo Łącki, palatini Vilnensis* [*Nicolai Radziwiłł*] *secretario,*
*de negotio destitutionis eiusdem filii sui ex parochia Grabienicensi et de conatibus suis, ut vel ipsa destitutio tollatur vel ut frater eius, Stanislaus, eadem beneficia obtineat.*
*(Haec epistola aliis certe litteris ad ducem missis erat annexa)*
*(Polonice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1529.*

*Dołgi, 17.V.1556.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*explicat rationes, ob quas in causa Reinholdi Crokaw duci gratificari non potuit.*

*Exemplar.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

De mea voluntate studioque [a] prompto ac parato [ad] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae obsequia obeunda velim sibi Illustrissima Celsitudo Vestra certo persuadeat. Dabo equidem operam, ut quaecunque obsequia mea proficisci [ad] Illustrissimam Celsitudinem Vestram possint, eorum nullum requiri in me ac desiderari patiar. In hac porro causa Reinoldi Crokaw duplici nomine Illustrissimae Celsitudini Vestrae satisfacere minus potui, tum quod res eiusmodi est, quae ad statum Ducatus Lituaniae pertinet, quorum negotiorum nullam fere partem assumere soleo, tum quod is Reinoldus nulla privilegia exhibuit, pro quibus id ipsum instituit petere, de quo Illustrissima Celsitudo Vestra scripsit. Postquam tamen ea exhibebit, non deero illi opera auxilioque meo. Caeteris in rebus quae mihi Illustrissima Celsitudo Vestra commendaverit, omni studio operaque mea illi gratificari satisfacereque curabo... Datum in Dolgi, die XVII Maii, anno Domini MDLVI.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerębski, Regni Poloniae Vicecancellarius
subscripsit.

a) *in ms.* studiaque

*N. 1530.*

*Vilnae, 28.V.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ut ducem de rerum statu in Livonia melius edoceat, mittit exempla litterarum Henrici a Galen, Ordinis Theutonicorum per Livoniam magistri, ad regem Poloniae, et Gulielmi de Fürstenberg, eiusdem magistri coadiutoris electi, ad se scriptarum.*

*Sigill.*

*(Annexa: 2 schedulae, 2 exempla litterarum: Henrici a Galen ad regem et Gulielmi de Fürstenberg ad Nicolaum Radziwiłł de 15.V.1556).*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Qui rerum sit nunc in Livonia status, puto, quod Illustrissima Celsitudo Vestra, partim ex ipso Domino Landmarsalco [1] iam habet cognitum, partim etiam ex his, quas, ut mihi primum allatae sunt, ad ipsam statim per hunc meum cubicularium transmisi, cognoscet literis. Itaque

nihil quidem de his, ut mihi a Reverendissimo et Illustrissimis Principibus, Domino Archiepiscopo Rigensi[2] et Domino Cristophero Duce Megapolitano, scripta sunt, nunc significo, sed tamen, quod antehac semper sedulo feci, daturum me operam constanter promitto, ut haec pericula, quae ibi tantopere metuuntur, si consilio non possint, ope tamen Sacrae Maiestatis Regiae, Domini nostri clementissimi, vel avertantur vel poenitus reprimantur ac removeantur procul. Idque quibus modis et quibus rationibus fieri expediat, ut nobis in Rudnyky constitutum est, habebitur Senatus consultum brevi, cuius constitucio, antequam regii Oratores, qui iam missi sunt, ex Livonia reversi fuerint, ut video, iusta honestaque racione exequi non poterit. Explorandi quippe prius sunt adversariorum animi, qui, quantum coniicio ex literis Firstenbergii, Coadiutoris Electi, tantum sibi omnia eadem pericula metuunt, quantum Principes. Quod ut Illustrissima Celsitudo Vestra plenius cognoscat, exemplum literarum illius, quae mihi eodem cum his die datae sunt, hic adiiciendum curavi... Datum Vilnae, 28 Maii, 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Casparus a Münster.*
2) *Gulielmus Brandenburgensis.*

*Schedula adiuncta I:*

Visum est mihi, Illustrissime Princeps, ad rem praesentem pertinere, ut sensum literarum ipsius Magistri Livoniensis, hoc tempore ad Sacram Regiam Maiestatem missarum, Vestra Illustrissima Celsitudo cognoscat. Quarum exemplar ego praesentibus adiunctum mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae.

*Schedula adiuncta II:*

Quoniam de mittendis Legatis Reverendissimus et Magnificentissimus Princeps clementissimus noster, Livoniae Dominus Magister etc., nomine Statuum provincialium Regiae Maiestati Poloniae scripsit, rogamus et nos, Vestra Illustris Magnificentia velit Regiae Suae Maiestati suasor esse, ut quam primum admittantur Legati et audiantur. Factura in hoc rem utriusque Reipublicae admodum salutarem et pernecessariam. Nos vicissim Vestrae Illustri Magnificentiae nullum non officiorum bono et christiano Principe dignorum genus deferimus.

*Annexum I: Exemplar litterarum Henrici a Galen ad regem Poloniae de 15.V.1556:*

Serenissime atque Illustrissime Princeps, Magnificentissime Rex, salutem plurimam et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Domine, Amice et Vicine nobis Charissime et omnibus modis Observande.

Cum ita nostrarum rerum rationes ferunt, Vestram Regiam Celsitudinem iisce nostris litteris familiariter interpellare, non dubitamus eam, pro suo in nos regio et amico studio et amore solito, id, quidquid est, alioqui arduis negotiis indubie occupatam, aequi bonique facturam et benigne intellecturam esse. Quod hisce demum officiose etiam atque

etiam instanter petimus. Res autem, quae scribendo nunc materiam suppeditavit, nos vel invitos[a] de iusto nostro dolore coram Regia Vestra Celsitudine conqueri summopere coegit, inter multas alias hac tempestate fere haec est, quod nostri Ordinis Archimarsalcus, Casparus de Munster, non utique, uti debebat et par fuit, status sui, quo aliquantisper summo pene dignitatis gradu fungebatur, rationem habens, illicitis modis sese electioni Coadiutoris nostri, non ita pridem de communi consilio, suffragantibus his, ad quos iure privilegiorum, statutorum et receptae multorum annorum consuetudinis et partis liberae electionis potissimum et indubie spectabant, factae, non modo sese verbis opponere, verum etiam excluso hoc, divinitus legitime intercedentibus mediis vocato et electo, verum summa[z] huius nostri Ordinis, invitis omnibus suffragatoribus, ad se trahere machinatus sit. Etsi autem ea res praeter omnem spem et expectationem ab homine in eo dignitatis fastigio posito nobisque obedientiam praestare subyecto atque suo Ordini arctissime devincto acciderit, nihil etiam nos minus speraverimus, quam posse talem virum, neglectis cum privatis commoditatibus, tum publicis, quibus ex officio destinatus erat atque quodammodo consecratus, utilitatibus, ullam defectionem in animum inducere suum, tamen cum eius rei indies magis magisque emergerent indicia, neque iam, Deo ita volente, eius actiones celari diucius possent, nobis nostri[z] nostrique Ordinis ineundae quoque rationes fuerunt. Non quidem quod in eius personam[b] gravius quid statuendum censuerimus, quam putabamus non tam suapte sponte, quam persuasu aliorum ita perverse agere.

Arcem igitur nostram nostrique Ordinis, quam nos haud mediocribus sumptibus, dum Archimarsalcum ageremus, fossis et vallis munitam exedifficavimus, ne ex illo suo proposito (de quo constabat) satisfaceret, ad nos recepimus atque, ut sit praesidium huius extremi Christiani Orbis propugnandi, custodimus. Hoc si penitus aliquando ipse Archimarsalcus considerare, quam in fugam omnino sine legittima causa, et minime compulsum, se dare maluisset, profecto cognovisset hic et sibi et universo, cuius corporis membrum erat, Ordini totique provinciae, in hoc turbulento statu Christianae Reipublicae et delira mundi senecta, optime consultum esse. Quoniam vero, ut commemoravimus, haec se vere res habet, ipseque nostri Ordinis, imo etiam tocius provinciae fines profugus excessit et ingratitudinem, perversi animi causam, quam fovet prorsus invictissimam, et quam ulciscetur divina Nemesis, ad Regiam Vestram Celsitudinem et plaerosque alios delaturum se et in suas partes vocaturum palam comminatus est. Nos autem speramus, et Regiam Vestram Celsitudinem et quoscunque bonos et christianos Principes, ad quos quidem huius facti veritas pervenerit, non solum non suggestioni hominis profugi et horum, quos sibi sorte conciliavit et adiunxit, adhibituros fidem ullam, verum multo minus causae tam iniquae et omnibus modis detestandae patrocinaturos esse. Id, quod hiisce praecibus nostris a Regia Vestra Celsitudine submisse et familiariter contendimus, et ultro facturam esse et in hoc et in quovis alio negotio, quod adversarii ingenti invidia ex odio nostri urgere instanter dicuntur, eandem confidenter speramus, memorem eius sanctionis et perpetuae pacis sacramento utrinque firmatae vinculi, quod quidem Vestra Regia Celsitudo servaturam se suis scriptis ad nos datis pridem ita, ut nihil haesitemus, docuit, neque nos, Deo volente, aliter unquam facturi sumus.

Postremo multae sunt gravissimae causae, quae cum nobis, cum huius provinciae Statibus facile fidem faciunt, Reverendissimum et Illustrissimum Principem Guilelmum Archiepiscopum Rigensem, Marchionem Bran-

denburgensem etc., in attentata coadiutoria Illustris Ducis Megapolitani [1] etc., quod minus ea ex sentencia cesserit, ad Regiam Vestram Celsitudinem praepostere renunciasse et adhuc cum suis adhaerentibus hoc conari sedulo, ut, quoniam iustis rationibus animum explere nequeant, hanc provinciam alia via aggrediantur. Quare operae precium facturi videbimur, si nos reliquique Status Vestram Regiam Celsitudinem de causa eadem cum suis circumstantiis undequaque cerciorem fecerimus et interim rebus nostris ita prospexerimus, ut, si vita nostra et fortunae in aliquas insydias, si in vim, si in tela inimicorum forte inciderint, omnis honesta nobis ratio sit expediendae salutis et eruendae libertatis etc., ad quam non dati, sed facti, non instituti, sed imbuti naturaliter omnes mortales sumus. Decrevimus igitur nos, provinciales Ordines, cum propter superius memorata, tum plaeraque alia haud leviora negocia, Vestram Regiam Celsitudinem per legationem invisere, et rogamus quam possumus officiose familiariter de animi sui sentencia, quo loco et die Oratorum nostrorum adventum praestolari et de singulis plenius referentes clementer audire Vestrae Regiae Celsitudini integrum et opportunum sit, per exhibitorem harum nos certiores reddere non dedignetur. Nos invicem Regiae Vestrae Celsitudini obsequia et officia, vicino et christiano Principe digna, offerimus, eidem et consorti Reginae [2] Illustrissimae prosperrimam et animae et corporis salutem, una cum Augusti Regni florentissimo successu, a Deo Optimo Maximo exoptantes, horum omnium et singulorum amicam responsionem desiderantes. Datae in arce nostra Wenda, postridie Ascensionis Christi, anno MDLVI.

Henricus de Galen, Equestris Ordinis
Theuthonicorum per Livoniam Magister.

a) *in ms.* invitis
b) *in ms.* personarum
z) *sic in ms.*

1) *Christophorus*
2) *Catharina.*

*Annexum II: Exemplar litterarum Gulielmi de Fürstenberg ad Nicolaum Radziwiłł de 15.V.1556.*

Salutem in Christo sempiternam et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Illustris ac Magnifice Princeps, Domine, Amice et Vicine perpetuo Observande.

Pro ea, quae inter nos dudum necessitudo vicinaque et amica familiaritas fuit, Vestram Illustrem Celsitudinem celare non volumus, certo nobis nunciatum esse Casparum de Munsster, qui Landmarssalcum Livoniae aliquandiu egit, sine omni legittima et honesta causa, profugum, variis et illicitis modis huic patriae insidias struere et inde occasionem colligere, quod non ipsi, sed nobis (etsi vix satis digno, neque tantum fastigium unquam affectanti) per nostri Ordinis suffragatores, qui designandi Magistrum Livoniae ius ex privilegiis et consuetudine habent, munus coadiutoriae eiusdem divinitus demandatum est. Atque ipsum, pertracto in suam sentenciam et partes Reverendissimo et Illustrissimo Archiepiscopo Rigensi [1] (quod minus sperabamus), Lithuaniam versus tentaturum et conciliaturum sibi Sacrae Regiae Maiestatis Poloniae, Domini nobis summa reverencia colendissimi, et aliorum etiam animos, paucis diebus ante contendisse. Etsi autem dubium non est Regiam Maiestatem, memorem perpetuae hinc inde constitutae pacificationis, ambiciosi huius hominis parum honestum conatum nequaquam probaturam, multo minus causae, quam fovet iniquissimam, ulla racione patrocinaturam esse, tamen

quum videamus quotidie ex Lithuania, vel invita Regia Maiestate vel eadem nescia, graves et iniuriosas violentasque rapinas, contra praescriptum memoratae pacis aliasque conventiones, in harum terrarum homines innoxios sine intermissione exerceri, ibidemque Ordinis nostri hostes quoscunque receptum habere et foveri, non potuimus non hisce rebus Vestrae Illustri Celsitudini obiter quaedam hoc scripto perstringere. Non dubitantes eandem, pro suo in nos consueto amore et vicino pacis concordiaeque studio, hoc, quicquid est, benigne non solum intellecturam, sed etiam, qua pollet apud Regiam Maiestatem authoritate, plurimum conaturam et effectum daturam esse, ut variis iniuriis et divexationibus, quibus nostri Lithuanorum finium accolae indesinenter petuntur, oprimuntur, tandem cum debita restitucione ablatorum (uti par est) aliquis modus sit atque finis. Solent enim eiusmodi privatae iniuriae, licencia et impunitas peccandi, non raro magnorum motuum et calamitatum causae esse atque origines. Quas ut Deus avertat, ardentibus votis oramus.

Porro cum sciamus cum iam dicto Landmarsalco et Archiepiscopum Rigensem et nonnullos alios, communicatis consiliis, conspirasse omnibusque viribus, solicitando Regiam Maiestatem, de auxiliaribus copiis id agere, ut huic Sacri Romani Imperii provintiae bellum faciant libertatemque pristinam omnium Statuum adimant aboleantque, denuo rogamus, ut Vestra Illustris Magnificencia sua prudencia prospicere non dedignetur, ne quid secius, ac pacis et bonae vicinitatis leges permittunt, in has provincias decernatur permittaturve. Haec liberius eo fusiusque scribimus, cum quod sciamus Vestram Illustrem Magnificenciam studia pacis ac concordiae sequi libenter atque amare, rebus etiam nostris et nostri Ordinis (quod iam dudum animadvertimus) bene consultum velle, tum ut intelligat nostrorum animos eadem studia minime abhorrere, nec sumpturos unquam arma (si qua sument), nisi provocatos et iuris et libertatis defendendi et conservandi causa. His tandem Vestram Illustrem Magnificenciam Deo Optimo Maximo incolumi rerum statu diutissime servandam fidelissime comendantes, eiusque responsum familiare petentes. Datae in arce Wenda, postridie Ascensionis Domini, anno MDLVI.

Wilhelmus Furstenbergius, Equestris Theutonicorum per Livoniam Ordinis Magistri Electus Coadiutor, Comendator Vellinensis etc.

1) *Gulielmus Brandenburgensis.*

*N. 1531.*

*Vilnae, 9.VI.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio marsalci Ordinis Livoniensis* [*Caspari de Münster*].

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Magnificus Dominus Ordinis Livoniensis Marschalcus, domo atque fortunis iniuria Ordinis illius eiectus, etsi in dicionem Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, divertisset, tamen hactenus ad presenciam Suae Sacrae Maiestatis non accessit, nec etiam mecum congressus est. Internunctium vero suum miserat, per quem singula contumeliarum suarum capita, causas et origines apud aures Sacrae Regiae Maie-

statis prosequtus[z] est. Commodum enim illius Maiestati visum erat, ut Dominus Marschalcus ad Suam Serenissimam Maiestatem non accederet, priusquam Internunctii Magistri Liwoniensis[1] et Ordinis illius, qui iam iam adfuturi sperantur, appulerint et admissi fuerint, ac tractatus de rebus racionibusque Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archipresulis, germani Illustrissimae Celsitudinis Vestrae,[2] ultro citroque habiti fuerint. Circa hoc enim et racio Domini Marschalci dignitatis et incolumitatis haberi potest. Quod ego iam Domino Marschalco amice persuasi ac mentem Sacrae Regiae Maiestatis aperui. Illustrissimam quoque Celsitudinem Vestram de omnibus istis cerciorem paulo ante reddidi. Nam post hoc nichil accidit, quod ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram istis in rebus non indignum deferri putarem, quum omnia ad adventum Nunctiorum sint translata. Quod si accidisset, profecto ut semel Illustrissimae Celsitudini Vestrae ac illius Illustrissimo germano operam meam devovi, non commissurus essem, ut Illustrissima Celsitudo Vestra harum rerum tantisper ignara sit. Et nunc, absente Sacra Maiestate Regia, que tamen post paucos dies adfutura est, quum ego presens sim, si quid intervenerit ad rem istam pertinens, non deero et voluntati Illustrissimae Celsitudinis Vestrae et necessitati germani illius Illustrissimi atque Reverendissimi, tum etiam et officio meo, quod in me suscepi, sed de omnibus reddam cerciorem Illustrissimam Celsitudinem Vestram... Datum Vilna, IX mensis Iunii, 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Henricus a Galen.*
2) *Gulielmus Brandenburgensis.*

*N. 1532.*

*Niedźwiadna, 12.VI.1556.*

*Alexander Iłowski, castellanus Visnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut sibi coloni profugi restituantur, quorum elenchum nominatim confectum duci mittit.*

*Sigill.*

*(Annexum: Elenchus profugorum)*

*H B A, B 2, K.386.*

*N. 1533.*

*Vilnae, 17.VI.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de periculo, in quo archiepiscopus Rigensis [Gulielmus marchio Brandenburgensis] versatur, et de morte crudeli servitoris sui Łącki.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum ex Nunctio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, Generoso Domino Asuero Branth, cognovissem mittendi ad Illustrissimam Celsitu-

dinem Vestram necessariam ipsi oblatam esse occasionem, volui et ego, pro meo de Vestra Illustrissima Celsitudine quam optime merendi instituto, meas tabellario huic ad eandem committere litteras, ut illis valetudinem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae viserem ac studiorum meorum partes paratissimamque ad omnia iussa eiusdem voluntatem illi testatam facerem, simulque et illud adiungerem, quod quidem Illustrissimae Celsitudini Vestrae exploratum fieri non diffido, Reverendissimum ac Illustrissimum Principem Dominum Archiepiscopum Rigensem, germanum illius charissimum, esse nunc in maximo dignitatis suae periculo ac discrimine constitutum ab istis importunis et vanissimis hominibus, Ordine nimirum hoc (ut vocant) Livonico. Quorum quidem scelere et dolosa machinacione et servitor meus gratissimus, Lączky, per Sacram Regiam Maiestatem in istis rebus, quae in Rudniki tractabantur, ad Reverendissimum et Illustrissimum Dominum Archipresulem missus, cum horum omnium negociorum gnarus ac experienciam habens, tum rebus meis publicis et privatis (eo, quod fuerit singulari ingenii industriaeque dexteritate praeditus adolescens) summe necessarius, ut forsan ipsi Illustrissimae Celsitudini Vestrae non est incognitum, innocentissime, ut ad me allatum est, interiit ac indigna miserabilique caede affectus est. Cuius casum ego non solum moleste fero, sed etiam mihi a lachrimis vix temperare possum. Ac ut nunctium hoc ingratum, si non in priorem eius bonam valetudinem, saltem in quamcunque, modo superstes sit, commutatum votis omnibus desydero, hoc Illustrissimam Celsitudinem Vestram, pro abundancia molestiarum mearum, celare nolui... Datum Vilnae, 17 Iunii, anno Domini 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1534.*

*Vilnae, 22.VI.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de archiepiscopo Rigensi [Gulielmo marchione Brandenburgensi] a magistro Ordinis Livonici [Henrico a Galen] obsidione cincto et de expeditione bellica ad eum liberandum a rege indicta.*

*Sigill.*

*(Annexum: Exemplum litterarum Gulielmi ad se scriptarum)*

*H B A, B 2, K.386.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ex litteris Sacrae Regiae Maiestatis, Domini nostri clementissimi, et alteris Reverendissimi ac Illustrissimi Principis Domini Archiepiscopi Rigensis, ad Suam Maiestatem nuper missis, Vestra Illustrissima Celsitudo clare cognoscet, quo in statu eiusdem Reverendissimi ac Illustrissimi germani illius incolumitatis raciones versentur, temeritate ac perfidia plus, quam hostili nequissimorum istorum ex Ordine Livonico hominum. Qui omnia consilia et cogitaciones ad evertendam Suae Reverendissimae ac Illustrissimae Celsitudinis dignitatem procul dubio posuisse videntur. Etsi enim data litterarum Suae Reverendissimae ac Illustrissimae Celsi-

tudinis non sit de admodum recenti tempore, quandoquidem certissimum litterarum huiusmodi portitoribus periculum immineret, quum et hee in vas salis plenum reposite, vix manus cuncta scrutancium evaserint ac serius ad Suam Maiestatem pervenerint, tamen nostrates, in confiniis degentes, huc non vanis rumoribus detulerunt, nequam homines illos Reverendissimum ac Illustrissimum Dominum Archipraesulem obsidione cinxisse, ut aliqui dicunt, XI Iunii, aliorum vero sermonibus XV eiusdem mensis. Utcunque tamen tempus habeat, hoc vero certissimum est Illustrissimi ac Reverendissimi Domini germani Vestrae Illustrissimae Celsitudinis res in discrimine positas esse, Maiestatem vero eciam Regiam ex tribus partibus terrarum istarum expedicionem bellicam in Livoniam ad eximendum obsidione fratrem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae (ut ex litteris Suae Maiestatis Vestra Illustrissima Celsitudo cognoscet) edixisse. Cui ego quoque eiusdem germani illius Reverendissimi atque Illustrissimi litteras, ad me datas, legendas transmitto... Datum Vilna, feria secunda ante festum Divi Ioannis Baptiste, 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Annexum: Exemplum litterarum archiepiscopi Rigensis ad Radziwiłł: 9.VI.1556.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ipsa rerum necessitas et angustia non admittit plura de rebus fortunisque nostris perscribere et pleraque animi dolor et imminens periculum intercipit, quominus commode omnia fieri non possunt. Scripsimus itaque ad Sacram Regiam Maiestatem, quantum potuimus et licuit, de qua epistola Vestrae Illustrissimae Dominationi exemplar appositum, ut videat[a] et calamitates nostras intelligat.[b] Rogamus itaque pro nostra amicitiae necessitudine, ne Vestra Illustrissima Dominatio patiatur nos tam misere deiici, spoliari atque in extremas calamitates detrudi, quin, quantum unquam fieri potest, citissime succurrat manusque auxiliares porrigat ac eam causam cum Sacra Regia Maiestate diligentissime ac fideliter pertractet. Ita tamen instructas copias esse oportet, ut hostibus nostris sint maiores. Illi enim, conquisitis[c] undique[d] viribus, Germano etiam, ut ferunt, milite advocato, omnes in nos nervum movere conantur. Nam si illis aut essent impares aut inferiores, utrisque male consuleretur.

Hanc igitur nostram afflictionem et causam et Sacrae Regiae Maiestati et Vestrae Illustrissimae Dominationi committimus, eo post Deum, Cunctipotentem Auxiliatorem, spem salutemque nostram reponentes. Deinde quoque omnibus, quibus possumus offitiis, sedulo semper quam gratissimi Illustrissimae Vestrae Dominationis operam ut recompensemus ac grata offitia ut eidem praestemus, nunquam intermittemus, eandem Deo Optimo Maximo ad sui gloriam quam diutissime incolumem commendantes. Datae ex arce nostra Kockenhausen, 9no die mensis Iunii, anno 1556.

Gwilhelmus, Dei gratia Archiepiscopus Rigensis,
Marchio Brandenburgensis, Stetiniae, Pomeraniae,
Cassuborum ac Vandalorum Dux, Burgrabius Norembergensis ac Rugiae Princeps.

a) *in ms.* et videt
b) *in ms.* intelliget
c) *in ms.* conquisitus
d) *in ms.* undoque

N. 1535.

Posnaniae, 2.VII.1556.

*Stanislaus Ostroróg, castellanus Międzyrzecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de archiepiscopo Rigensi [Gulielmo marchione Brandenburgensi] in arce Kokenhausen a magistro Livoniae [Henrico a Galen] circumsesso.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Actepi literas Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, ex quibus cognovi Reverendissimum Dominum, Dominum Archiepiscopum Rigensem, Vestrae Illustrissimae Celsitudinis fratrem, in arce Kokenhausen a Magistro et Ordine Livoniensi ad labefactanda iura et privilegia ipsius circumsessum esse. Quod sane pro eo, ac debeo, graviter, moleste et dolenter fero, et quicquid huiusmodi Illustrissimo et optimo generi ac sanguini Vestrae Illustrissimae Celsitudinis actidit, mihi ipsi actidisse puto. Etsi autem multis difficultatibus undique circumseptus, eciam si omnes vires et facultates intenderem, operam intra tam breve tempus Vestrae Illustrissimae Celsitudini neque profiteri neque navare possum, neque me ipsum sistere, tamen curabo et omnibus viribus enitar, ut rebus in eam necessitatem et tantum periculum isthic adductis, me erga Vestram Illustrissimam Celsitudinem talem, qualem oportet, prestem. Siquidem per omnem occasionem, quod semper sum professus, quocies dabitur opportuna facultas, nihil labori, sanguini et sumptibus parcendo, omnis generis officia Vestrae Illustrissimae Celsitudini animo alacerrimo deferre et exhibere sum paratus... Datum Posnaniae, 2 Iulii, anno Domini MDLVI.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
addictissimus servitor
Stanislaus Ostrorog manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1536.

Vilnae, 2.VII.1556.

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit exemplum litterarum, ad se datarum, magistri Livoniae, Henrici a Galen.*

*Sigill.*

*(Annexum: Exemplum litterarum magistri Livoniae ad Radziwiłł, de 25.VI.1556)*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Etsi uno eodemque tempore plures ab Illustrissima Celsitudine Vestra acceperim litteras, quibus ut respondeam, non minus necessarium quam oportunum fore censeo, tamen et res et tempus exigit, ut aliam

rescribendi Vestrae Illustrissimae Celsitudini occasionem me consequi oporteat. Quandoquidem non desunt frequentes tabellarii, qui scripta mea ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram de iis omnibus, quum se melior oportunitas dederit ac per occupaciones licuerit, perferre possunt. Quum vero die hesterna, que fuit vigilia Visitacionis Mariae, sub vesperam allatae michi fuerint ex Livonia a Magistro Ordinis provinciae illius litterae, essetque in itineris procinctu presens nunctius, litterarum Magistri exemplar ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram mittendum statim curavi. Ex quibus cognoscet Illustrissima Celsitudo Vestra et rei seriem et illorum hominum in animum inductionem... Datum propere Vilna, die Visitacionis Mariae, 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Annexum: Exemplum litterarum magistri Livoniae, Henrici a Galen, ad Nicolaum Radziwiłł, palatinum Vilnensem, de 25.VI.1556:*

Salutem a Domino et omnis felicitatis continuum incrementum.

Illustrissime et Magnifice Princeps, Domine et Vicine Charissime.

Audimus omnes Lithuaniam incolentes in armis esse contra nos nostrumque Ordinem atque totam Livoniam. Etsi autem ea est animi Vestrae Magnificae Dominationis erga nos nostrumque Ordinem benevolentia, quam tocies erga nos suis familiaribus scriptis declaravit, ut facile fidem adhibere non possimus, si quis rumor contra spergatur,[z] tamen cum quotidie ad nos una atque eadem res pro indubitata referatur, statuimus hisce brevibus nostris litteris apud Vestram Magnificam Dominationem rem eandem certius cognoscere. Nos enim et consencientes reliqui Status Livoniae, etsi in armis sumus contra iniustam vim propulsandam, tamen cum nobis cum Regia Maiestate Poloniae, Vestra item Magnifica Dominatione nulla offensio intercedat, nobisque pacem perpetuam semper sancte colendam proponamus atque iam legacionem nostram ad Regiam Maiestatem missuri simus, per quam ostendemus Regiae Maiestati causas inevitabiles, quibus coacti sumus arma capere, certe nobis persuadere non possumus Vestram Magnificam Dominationem eo iam nunc adversum nos animo esse, ut paciatur suam erga nos benevolenciam per quosdam nostros adversarios sibi eripi, qui nostri inimici de industria nihil cogitant nihilque aliud agunt, quam ut per falsas criminaciones omnium odia adversum nos accendant.

Quare familiariter petimus, ut nobis suam benevolam voluntatem per praesentem litteris suis familiaribus perscribat, cum sciamus Vestram Magnificam Dominationem perpetuae pacis non minus esse studiosissimam... Datae praepere[a] ex arce nostra Wenden, die Iovis post Ioannis Baptistae, anno 56.

Henricus de Galen
Equestris Ordinis Theutonicorum per Livoniam Magister.

a) *sic in ms., error pro:* propere *vel* praepropere
z) *sic in ms.*

N. 1537.

*Posnaniae, 2.VII.1556.*

*Ioannes Tomicki, castellanus Rogoznensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*a rege vocatus, duci auxilio cum equitibus se venire non posse nuntiat et se excusat.*

*Sigill.*

*(Annexum: Litterae regis ad Tomicki ipsum ad se invocantes, de 8.VI.1556, cum sigillo)*

*H B A, B 2, K.387.*

...Domine ac Princeps Illustrissime.

Non sine animi mei dolore litteras Illustrissime Celsitudinis Vestrae legi, ex quibus Reverendissimum Archiepiscopum Rigensem [1] a Magistro [2] et eius Ordine Livoniensi turbari, ac iam cum exercitu in arce obsidione eum cinxisse intellexi. Hoc tamen uno consolabar, quod Illustrissima Celsitudo Vestra a me requiratur,[z] ut ex ea observantia ac animi mei erga Suam Illustrissimam Celsitudinem per me multoties ei oblata, in certo numero equitum armatorum succurrerem, ex eo agnosco Vestram Illustrissimam Celsitudinem clementiae suae animum propensum erga me non destituisse. Utque voluntati Illustrissime Celsitudini [z] Suae ac negotio fratris eius subvenirem, promptissimum id facturum me prestarem omnino, verum in preteritis Comitiis Petricoviensibus Regia Maiestas, una cum Consiliariis ac Nunctiis huius Regni, presidio publice expeditionis, si necessitas expostulaverit, providere constituit. Ac cum ad Regiam Maiestatem aliquoties perferratur [z] Imperatorem Turcarum constituisse et Palatino Moldavie [3] demandasse, et cum suo toto exercitu illius terre ad expugnandas in Hungaria arces et Wiennam occupandam occurreret, ac per terras Poloniae Regis, Domini mei clementissimi, pergeret iter, Regia Maiestas, providendo indemnitati dominiis suis, binis iam restium litteris ad expeditionem publicam nobilitatem suam concittari [z] esset dignata, nihilque aliud a nobilitate huius Regni, quam tertie restium littere, in quem locum se conferant, expectatur.

Quamvis igitur michi perdificillimum sit hoc tempore de Regno ad subveniendum huic necessitati me conferre, dificilius vero aliquem ex nobilitate educere secum, si etiam magna peccuniae summa pro stipendio exponeretur, post extraditionem enim tertiarum restium litteris [z] quilibet nobilis ad locum assignatum in quattuor septimanis se statuere obstringitur, iuxta privilegia huius Regni, sub amissione bonorum et famae. Rebus sic stantibus, ferme eodem die, quo michi littere ab Illustrissima Celsitudine Vestra redderentur, a Regia Maiestate, Domino meo clementissimo, littere michi date, ut cum aliis huius Regni Consiliariis ad locum assignatum, in praefatis litteris contentum, convenirem. Quibus rebus ut eo facilliorem fidem Vestra Illustrissima Celsitudo adhibeat, easdem litteras his annexis [z] mitto et ab ea peto, ut tantis rationibus perspectis me hoc tempore excusatum habeat in gratiaque cle-

mentiae suae veteri contineat modo. Datum Posnaniae, 2a die Iulii, anno Domini 1556.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
perpetuus servitor
Ioannes de Thomycze, Castellanus Rogoznensis
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Gulielmus marchio Brandenburgensis.*
2) *Henricus a Galen.*
3) *Alexander Lapušneanu.*

*Annexum: Litterae regis ad Tomicki ipsum ad se invocantes, de 8.VI.1556.*

Sigismundus Augustus, Dei gratia Rex Poloniae *etc.*

Generose, Fidelis, Dilecte.

Postulant Regni nostri rationes, ut cum omnibus Consiliariis de salute et conservatione illius deliberationem suscipiamus. Cuius rei causa in Poloniam ad diem Divo Bartholomeo sacrum proficisci statuimus atque Warschoviam ad diem festum Sanctae Crucis venire. Quo ut ad nos Fidelitas Tua veniat, requirimus. De iis, quae a nobis proponentur, cum aliis Consiliariis nostris consultatura. Factura pro offitio suo et gratia nostra. Datum Vilnae, VIII Iunii, anno Domini MDLVI, Regni vero nostri anno XXVII.

Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

*N. 1538.*

*Vilnae, 2.VII.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Trocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se iam equum conscendere nuntiat, ut vires suas cum viribus ducis (contra magistrum Livoniae) coniungat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Et quae nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae retulit mihi Generosus Dominus Assuerus Brandt, Capitaneus Tapiensis, et quae deinceps ex litteris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae intellexi, ea omnia coram Sacra Regia Maiestate diligenter exposui. Sacra autem Regia Maiestas respectu propinquae cognationis, qua Illustrissimam Celsitudinem Vestram attingit, nulli se occasioni defuturum asserit, ubi sese voluntati et commodis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae accommodare recte possit. Ego autem iam iam equum conscendo, mecum copias ex urbe educens, octavoque abhinc die uno milliari a finibus Livoniae consistam in oppido quodam Salata, Domini Kmitae, Lithwani. Vestra quoque Illustrissima Celsitudo ut sine ulla mora cum copiis suis accurrat, vehementer peto. Certiorem autem me reddat velim, quonam tempore aut per quae loca sit iter Illustrissima Celsitudo Vestra susceptura, ut nuntiis ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram mittendis viam habeam notam certumque diem sciam, quo vires nostras cum viribus Illustrissimae Celsitudinis Vestrae coniungere possimus. Ac ut id faciam, quod optimum

factu aliquando Illustrissimae Celsitudini Vestrae visum fuerit, plura ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram scripturus essem, nisi me iam alio iter avocaret, quod arripio... Datum Vilnae, 2 Iulii, anno 1556.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
promptissimus amicus et servitor
Nicolaus Radziwil Dux in Dubinki et Bierze,
Palatinus Trocensis etc. manu propria subscripsit.

*N. 1539.*

*Posnaniae, 3.VII.1556.*

*Iacobus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*causas enumerat, ob quas duci auxilio cum equitibus venire non possit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

... Illustrissime Princeps, Domine Observantissime.

Cum reputo mecum singularem gratiam, qua me Illustrissima Celsitudo Vestra, de se nihil unquam meritum, prosequi est dignata, quantum Illustrissimae Vestrae Celsitudini debeam, haud obscure perspicio. Etenim Illustrissima Vestra Celsitudo certo hoc sibi persuadeat nihil me magis unquam exoptaturum fuisse, quam si voluntati Illustrissimae Vestrae Celsitudinis satisfaciendi mihi data esset facultas. In subsidium autem Illustrissimae Vestrae Celsitudini cum centum armatis venire equitibus non tam difficile mihi futurum erat, quam multae gravissimae in eo conatus meos remorantur causae. Primum namque triplices iam restium (ut vocant) literae a Sacra Regia Maiestate Poloniae, Domino nostro clementissimo, publicatae sunt, quibus classicum canitur nosque in armis esse iubemur, idque ob periculi metum, quod nobis Palatino Walachiae,[1] a copiis Turcicis bello (ut fertur) superato, imminere videtur. Quo Sacra Regia Maiestas permota, ne quis extra limites Regni sese conferat, interdicere est dignata. Praeterea quanto in periculo religionis ergo versemur, haud obscurum esse Illustrissimae Vestrae Celsitudini puto. Quid enim Legatus pontificius,[2] qui tanto tempore in Regno latitat, machinatur, facile perspici potest, ita ut remote aliquo abire non nisi periculosissimum sit futurum. Postremo quoque dies Warschowiae coram Sacra Regia Maiestate de multis millibus florenorum mihi dicta est, quae cum appropinquet ipseque adesse praesens omnino cogar, quominus ad Illustrissimam Vestram Celsitudinem hoc tempore veniam, ob enumerata iam vera et gravissima impedimenta retardor.

Itaque magnopere peto, ut Illustrissima Vestra Celsitudo me clementer habeat excusatum, quo minus eidem morem gero, dubitetque nihil, si rerum alia facies fuisset, me Illustrissimae Vestrae Celsitudini praesto adfuturum fuisse... Datum Posnaniae, tertio die mensis Iulii, anno 56.

[a] Eiusdem Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor
Iacobus Ostrorog manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

1) *palatinus Valachiae: Patrašcu cel Bun (Bonus); hic agitur forsitan de palatino Moldaviae, Alexandro Lapušneanu.*

2) *Aloisius Lippomanus.*

*N. 1540.*

*Posnaniae, 5.VII.1556.*

*Lucas a Górka, palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci*

*tot aliis negotiis publicis occupatum, se in persona in auxilium fratri ducis, archiepiscopo Rigensi [Gulielmo marchioni Brandenburgensi], in arce Kokenhausen circumsesso, venire non posse scribit, certum tamen equitum numerum missurum se promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ut primum ex litteris Vestrae Illustrissimae Celsitudinis cognovi Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Rigensem, fratrem Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, a Magistro [1] et Ordine Liwoniensi in arce Kokenhausen circumsessum esse, ipsamque urgeri obsidionem, saneque pro eo, ac debeo, id magno cum animi mei dolore perfero. Ac insistens vestigiis et studiis Illustris et desideratissimi olim Domini parentis mei, quibus Vestram Illustrissimam Celsitudinem semper coluit et observavit, animique propensissimi et benevolentissimi Vestrae Illustrissimae Celsitudinis, cum in eum, tum erga me documenta in memoriam revocans, non commisissem profecto, quin nihil sumptibus et labori parcendo, rebus Reverendissimi Domini fratris Vestrae Illustrissimae Celsitudinis in eam necessitatem adductis, ad eum in libertatem asserendum operam honorariam Vestrae Illustrissimae Celsitudini ipse praesens narrarem.[z] Quia vero Sacra et Serenissima Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, ut in Conventum Varszoviensem me ad festum Exaltacioni Cruci [z] dicatum conferam, iubet, mihique ipsi nunc negocia magni nominis, Vestrae Illustrissimae Celsitudini non ignota, sunt obeunda et expedienda, ac incursu Tartarorum, qui iam finibus imminent et occasionem irrumpendi in dicionem Sacrae Regiae Maiestatis et bona nostra metuenda,[z] ad quam reprimendam nos semper paratos et intentos esse oportet, tot negociis districtus et difficultatibus circumseptus, nullo pacto studium meum, prout vellem, Vestrae Illustrissimae Celsitudini declarare neque illi me ipsum sistere possum.

Tamen ut extet officiorum meorum erga Vestram Illustrissimam Celsitudinem aliquod specimen, consilio cum Illustribus Dominis fratribus meis communicato, dabo omnem operam, ut summae meae et alacerrimae erga Vestram Illustrissimam Celsitudinem voluntati aliqua ex parte respondeam illique, si id pace et permissione Sacrae Regiae Maiestatis licebit, talem comitatum equitum, qualis hoc difficili et angusto tempore cogi poterit, mittam. Cui statui praeficere virum, hominem prudentem, belli et pacis artibus clarum et rebus agendis idoneum, qui procul dubio Vestrae Illustrissimae Celsitudini praeclaram poterit collocare operam. Ac, ut hoc studium meum erga se in praesenciarum boni consulere dignetur, rogo. Porro alias, ubi res ipsa tulerit et opportunitas permiserit, et solus et cum aliis Vestrae Illustrissimae Celsitudini, sanguini et facul-

tatibus non parcendo, officia mea probabo... Datum Poznaniae, V die Iulii, anno Domini MDLVI.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor
Lucas Comes a Gorka, Palatinus Brestensis,
Capitaneus Buscensis, manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Henricus a Galen.*

*N. 1541.*

*Wiewiórka, 7.VII.1556.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci*
*se pro virili sua auxilia militaria duci missurum significat.*

*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditis literis, simul etiam et mandata [a] Illustrissimae Dominationis Vestrae, Generosus hic Dominus Zborowski,[1] aulicus Illustrissimae Dominationis Vestrae, mihi exposuit. Ex quibus rem omnem abunde intellexi. Postquam itaque ea semper voluntas, hoc animi mei propositum erga Illustrissimam Dominationem Vestram fuit, ut illius in me propensioni ac benevolentiae studiis ac obsequiis meis responderem, ipsiusque singularem erga me gratiam modis omnibus promereri conarer, non invitus itaque et in eo, quod nunc per literas et ipsum Dominum Zborowsky mihi iniungit, explorata modo primum Sacrae et Serenissimae Maiestatis Regiae voluntate, sine cuius permissione id ipsum a me fieri nequit, Illustrissimae Dominationi Vestrae ut obsequar, curabo.

Cum autem expeditio illa ab aetatis et valetudinis meae rationibus alienior iam videatur, nihilominus tamen quo utique Illustrissimae Dominationi Vestrae obsequi possim, si non eum, quem Illustrissima Dominatio Vestra scribit numerum, at saltem qui in tam brevi temporis spacio haberi poterit, ad Illustrissimam Dominationem Vestram mittere et expedire, quam primum de voluntate Maiestatis Regiae certior factus fuero, haud negligam. Non verebor enim hoc coram Illustrissima Dominatione Vestra fateri, quae est membrum Regni huius et statum omnem Regni huius, ut nunc est, omniaque, quae hic quove modo gerantur, dubio procul explorata atque cognita habet, quod, quamvis sit hominum maximus numerus, difficile tamen intus tam breve tempus vel centum tantum idoneos equites contrahi poterunt. Cum enim veterani omnes, qui aliquando in rebus militaribus versati fuerunt, decesserint, homines iuvenes, qui interea succreverunt, domi in magna pace ac desidia educati, necdum unquam exercitati, omnem laudem et usum atque experientiam rei militaris amiserunt ita, ut perpaucos armis tractandis idoneos reperias, et qui vel modicum aliquem usum habeant. Ea sane est nostra in tot undiquaque imminentibus periculis desidia potius, quam securitas, ut haec una res maximum tot periculis terrorem adiiciat, dum magis domi imparati hominum animi, ac dissidentes etiam, et ipsa denique se-

curitas in tam iniquis temporibus rerumque omnium statu, quam vel externorum hostium vires metuenda [z] merito videantur... Datae in Wiewiorka, VII die Iulii, anno Domini MDLVI.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
[b] servitor
Ioannes Comes in Tarnow subscripsit.[c]

a) *in ms.* manda
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Petrus?*

*N. 1542.*

*Wilkija, 7.VII.1556.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus Samogitiae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*cum exercitu suo iam ad expeditionem paratus, rogat, ut dux eum de suo ad bellum [Livonicum] exitu certiorem reddat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum certus michi nuncius contigit Sacrae Regiae Maiestatis, ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem proficiscens cubicularius, qui meas quoque ad eam deferret litteras, committere nolui, quin eas per illum ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem scriberem. Quibus mea addictissima et humillima servicia Vestrae Illustrissimae Celsitudini, Domino michi clementissimo, studiosissime offero ac commendo eidemque faustissimam a Deo Optimo cum successu omnium fortunarum valetudinem in annos longissimos opto desyderatissime.

Hiisdemque a Vestra Illustrissima Celsitudine optatissime postulo, ut cum de suo (quod sit faustum ac foelix) Illustrissima Celsitudo Vestra Magnifico Domino Palatino Trocensi,[1] Sacrae Regiae Maiestatis exercituum Praefecto, ad hoc bellum proximum exitu significare dignabitur, et quo in loco certo cum copiis suis constituetur foeliciter, de iis omnibus me quoque, tanquam obsequentissimum servitorem suum, per litteras cerciorem reddere non dedignetur, qui etiam cum exercitu bellico, michi a Sacra Regia Maiestate ad hoc bellum commisso, iam paratus sum. Atque iam, Deo volente, hinc ex Vilkye recta ad locum conscriptionis deputatum sabbato hoc proximo ad confinia Livoniensia proficiscar, ibique foelicissimum Vestrae Illustrissimae Celsitudinis adventum ac ad ea responsum affectissime praestolabor. Quem [z] ut eodem tempore (quo Magnificum Dominum Palatinum Trocensem de praefatis certum efficere Vestra Celsitudo dignabitur) habere possim, maiorem in modum rogo atque supplico. Datum Vilkiis, 7 die Iulii, anno Domini MDLVI.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus perpetuus servitor
Hieronymus Chodkiewicz, Castellanus Trocensis
et Samogitiae Capitaneus Generalis.

z) *sic in ms.*
1) *Nicolaus Radziwiłł « Rufus ».*

*N. 1543.*

*Vilnae, 8.VII.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Gulielmo archiepiscopo Rigensi, in quodam Ordinis castello a magistro Livoniae [Henrico a Galen] detento.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quomodo se res habeant Reverendissimi ac Illustrissimi Domini, Domini Gwilhelmi Archiepiscopi Rigensis, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae fratris, eadem ex literis, a Sacra Regia Maiestate scriptis, perspicue intelliget. Nam is a Magistro abductus (uti mihi cubicularius Regiae Maiestatis, qui inde rediit, retulit), in quodam castello Ordinis detinetur, ubi etiam si non adeo dure tractetur, tamen ipsius vicem, ut quilibet, ita ego praecipue doleo, utpote qui sciam, quamvis Principis loco propter familiae eminenciam habeatur, pristina tamen et solita libertate non gaudeat utaturque. Caeterum Illustrissimus Dux Megapolitanus [1] ad Magistrum secessit ibique commoratur. Nuncios vero, quos se missuros polliciti sunt, adhuc ad Regiam Maiestatem adventuros affirmant, eos avide expectamus. Haec ego, ut mihi oretenus relata sunt, Illustrissimae Celsitudini Vestrae significanda duxi... Datum Vilnae, die 8 Iulii, anno 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Christophorus.*

*N. 1544.*

*Onikszty, 9.VII.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Trocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de deditione ab archiepiscopo Rigensi [Gulielmo marchione Brandenburgensi] hosti [magistro Livoniae, Henrico a Galen] facta et de necessitate maturae et celerrimae ad liberandum eum bellicae expeditionis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Mallem nunc quidvis aliud ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram perscribere, quam de tam tristi casu illam certiorem reddere, quod nimirum Illustrissimus Princeps, Dominus Archiepiscopus Rigensis, Vestrae Illustrissimae Celsitudinis frater, sub potestatem hostium suorum, idque ultronea deditione facta, venerit. Quid autem in hanc mentem Suam Illustrissimam Celsitudinem impulerit, aut quid causae extiterit, longum perscribere esset, nunc praesertim mihi occupatissimo. Verum cum quod factum est, id iam infectum fieri nequeat, id solum restat, quod ego

suadeo ac vehementer rogo, ut Illustrissima Celsitudo Vestra cum copiis suis ad nos quam celerrime accurrat et coniunctis nobiscum viribus, divino auxilio, contumeliam fratris sui fortiter ulciscatur.

Non est autem, cur Illustrissima Celsitudo Vestra iam iter suum recta ad Kockenhausen destinet, quandoquidem non retineatur hac in arce Reverendissimus Dominus Archiepiscopus, sed sit in aliam partem ultro Kresa arcem abductus. Ergo id potius videretur consilium, ut recta per fines Lithwaniae Vestra Illustrissima Celsitudo exercitum ducat iterque suum ad oppidum dictum Salata, in ipsis finibus Livoniae situm, destinet. Ego enim et Dominus Castellanus Trocensis [1] alicubi non procul ab oppido hoc praedicto adventum Vestrae Illustrissimae Celsitudinis expectabimus. Si modo tuto per hostes, quin cum illis congrediamur manumque conseramus, tam diu expectare poterimus. Etsi maxime vellemus Vestram quoque Illustrissimam Celsitudinem adesse, ut, communicato consilio, expeditius ac tutius cuncta aggrederemur...

Datum in Onixti, 9 Iulii, anno 1556.

Hoc quoque Illustrissimam Celsitudinem Vestram non lateat, Coadiutorem [2] hunc Magisterii Livoniensis exercitusque eorum Prefectum in ipsis pene finibus Litwaniae, tribus tantum milliaribus ab oppido meo Bierze, cum exercitu suo consedisse. Quare maxime maturo Illustrissimae Celsitudinis Vestrae adventu et consilio opus habemus.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor ad vota paratus
Nicolaus Radzivil, Palatinus Trocensis etc.,
manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria*
1) *Hieronymus Chodkiewicz.*
2) *Gulielmus a Fürstenberg.*

*N. 1545.*

*Stobnica, 10.VII.1556.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*explicat causas, ob quas duci in auxilium ad liberandum fratrem* [*Gulielmum, archiepiscopum Rigensem*] *venire non potest.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Pretermittere nolui, quin Tuam Celsitudinem inviserem. Ex litteris Tuae Celsitudinis sane ac recte intellexi, quibus mihi Tua Celsitudo significavit casus arduos ac pericula, quae subito fratri Tuae Celsitudinis subvenere. Ex animo id me poenitere successus suos, ut Tuam Celsitudinem actederem, quocunque iuvamine una cum Tua Celsitudine fratri Tuae Celsitudinis me adesse, id lubens ex animo facturus essem, centum aut paulo minus aequis [z] sive aequitibus [z] Tuam Celsitudinem actedere. Hec tamen in causa fuere. Omnia arma, quaecunque habui, Russiae detinui in bonis meis, que mihi sunt in confinibus Valachiae, et etiam complures ex meis famulis propter necessitates confinium ac pericula illorum. Secundum, habendo suspitionem ab inimicis meis, et praesertim fratrum [1] olim Demetrii Sanguskowicz (prout me hisce in rebus homines effugiunt), ne aliquod periculi ab illis acteptarem, quod absit; prout

Tuae Celsitudini supra scripsi, hos casus, propter quos nullo modo tam agili subita expeditione me expediri [z] possum, et praesertim in iuvamine fratris Tuae Celsitudinis erga eius infestos, non tamen essem illi pro tempore tam tarda mea expeditione. Et ideo me oporteret mittere pro hisce rebus armatis centum milliaria ad confines Valachiae, quod id multum temporis attulerit illuc ac isthuc arma vehi.

Sin Tua Celsitudo mihi significasset ante discessum meum Russiam, post autem redditum [z] meum Tua Celsitudo mihi significavit per filium meum litteris Tuae Celsitudinis, non tamen in tempore, quo non possum illic adesse Prussiae. Tercium, quod cubicularius Sacre Maiestatis Regie Russiam venerat ad me cum litteris eiusdem. In quibus mihi Sua Maiestas significavit, ut Varschaviam actederem pro festo Sancti Bartolomei proxime venturo, quo illic Sua Maiestas una nobiscum, Consiliariis Regni, aderit, hanc ob rem: unicuique attribuere iustitiam ac etiam in rebus Coronae ac tocius Reipublicae tractare. Nullam vero significationem Sue Maiestati potui rescribere hanc ob causam, ne mihi Sua Maiestas ingrate ac ingratiose tulerit. Cum autem nihil mihi litteris suis significaret, ego nullo modo tam longum iter e confinibus Valachie facerem, quo non tantum me ipsum esse fessum ex itinere, verum etiam aequorum meorum fatigam ruinam esse factam. Tuam Celsitudinem obnixe praecor, ne Tua Celsitudo mihi ingrate ferat, quod Tuam Celsitudinem nullo modo potui actedere, id in causa esse: ingenteis [z] ac urgentes necessitates Sacre Regie Maiestatis. Sin vero hoc bellum non peragetur aut longo durabitur tempore, quod absit, ego post aliquod tempus Tuam Celsitudinem actedam, (ut aiunt) bellum inceptum, non parvo tempore finietur. Dum autem hoc bellum erit, non me post parvum temporis [z] excusabo. Tuae Celsitudini mitto per filium meum gradarium bonum, certum pedibus, castratum, in quo Tua Celsitudo possit proficisci, non tamen ad negotia ardua, sed ad equitandi solatium... Datum Stobniciae, X Iulii, anno Domini MDLVI.

Deditissimus servitor Tuae Celsitudinis
Martinus a Sborow, Pallatinus Calissiensis,
Schidloviensis, Odalanoviensis, Stobnicensis
etc. Capitaneus.

z) *sic in ms.*
1) *Romanus et Iaroslaus.*

*N. 1546.*

*Ejragoła, 11.VII.1556.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, Samogitiae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de archiepiscopi Rigensis [Gulielmi marchionis Brandenburgensis] in manus magistri Livoniae [Henrici a Galen] deditione ducem certiorem reddit et ad accelerandum iter versus oppidum Sałaty ulciscendae contumeliae causa hortatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quamvis aliud quicquid iucundius Vestrae Illustrissimae Celsitudini, Domino mihi clementissimo, a me scribendum erat, quod non tam moleste animum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commoveret, quam de

tam infoelicissimo atque tristi casu illam reddere certiorem, quod nimirum Illustrissimus Princeps ac Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Rigensis, Vestrae Illustrissimae Celsitudinis frater, in manus hostium suorum venerit, quaque ratione Sua Illustrissima Celsitudo compulsa ultro id fecit, de hoc non insciam esse Vestram Illustrissimam Celsitudinem arbitror. Iam vero qualitercunque factum est, quod aliter fieri nequit, omni abiecta molestia id solum precipue restat, quod ego Illustrissimae Celsitudini Vestrae suadeo ac rogo vehementissime, ut Vestra Illustrissima Celsitudo cum copiis suis ad nos quam celerrime accurrat et coniunctis nobiscum viribus, divino favente auxilio, tam gravem contumeliam fratris sui ulciscatur. Non est autem, cur Illustrissima Celsitudo Vestra iam iter suum ad Kockenhausen convertat, cum quidem hac in arce Reverendissimus Dominus Archiepiscopus non retineatur, sed sit ultra in aliam arcem abductus. Ideo hoc longe consulcius et acceleratius esset, ut recta per fines Samogitiae et Lituaniae Vestra Illustrissima Celsitudo exercitum ducat, rectaque ad oppidum Salata, in ipsis Livoniae finibus situm, proficiscatur. Nos autem similiter cum Domino Palatino Trocensi [1] non procul ab oppido praefato adventum Vestrae Illustrissimae Celsitudinis expectabimus. Quem ut accelerare dignaretur, iterum atque iterum obnixe precor, nan [z] nos Illustrissima Celsitudo Vestra certo sciat ab incursu hostium repentino non esse securos, qui iam sunt in propria dicione Magnifici Domini Palatini Trocensis cum suo exercitu ad bellum conferendum parati. Quare Vestrae Illustrissimae Celsitudinis citissimo adventu atque maturo consilio summopere indigemus... Datum Eyragolae, 11 die Iulii, 1556.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
obsequentissimus perpetuus servitor
Hieronymus Chodkiewicz, Castellanus Trocensis
et Samogitiae Capitaneus Generalis.

z) *sic in ms.*
1) *Nicolaus Radziwiłł « Rufus ».*

*N. 1547.*

*Nörenberg (in Pomerania), 12.VII.1556.*

*Alexander Połubiński, regius capitaneus exercitus Tartarorum,*
*Alberto in Prussia duci*
*se a rege missum esse nuntiat, ut duci auxilium militare contra hostes eius ferret.*

*Vest. sigilli. Autogr.*

*H B A, B 2, K.387.*

Nayiasnyeise Millosczyve Xyaze.

Oznaymuye Vasey Xyazecey Mylosczi, ysz mye Iego Krolyewska Milosczracil poslacz z woyskyem Iego Krolyewskyey [Mylosczi] tatarskyem ku pomoczy y obronye panystwu Vasei Xyazecey Milosczy, dawsy my w tem nauką dostateczna y roskazawszy porozumyenye byoracz z Wasey Xyazecey Mylosczy, othpor nyeprzyacyelowy V.M. czynycz przy granyczach lyezacz, nye dopusczayacz skot y wtargnyenya y plondrowanya zyemy Vasei Xyazecey M. czynycz, gdzye tusz ponyedalyeku bolseny moczamy voyska swego roskazal Iego Crolyewska Myloscz Vyelkyemu hetmanu

posylek udzyelacz, yakozem tu w Donemberku[z] zebrawsy sy lyudzmy do Lyuczen cyagne y do Maryn Anzu. A tam v granycze nyeprzyacyelskyey poloze ku obronye y ratunku nylyubuyacz mayetnosczy gartl swoych, czo Pan Bog pomoze, na przecywko temu nyeprzyacyelovy ktory sly umysl ma naprzecyw panstwu Vasey Xyazecey M. Na znak dobrego poznania posylam V.M. saydak za upomynek broni swoye w ktorey sya my kochamy a V.M. prosa o panczerze, bo my s przygody vosz zbroyam skonali.

Zeby mye V.M. racyl na ten czas ratowacz... Dan z Noremberku przet swyetam Malgorzatam anno Domini 1556.

Alexander Polulubyensky[z]
hetman Iego Krolyewskyey M.czi voyska tatarskyego.

z) *sic in ms.*

*N. 1548.*

*Krupiszki, 13.VII.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Trocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de commeatibus exercitui ducis subvehendis; de novo mandato regio ad conscribendum exercitum pertinente.*
*(Cum schedula adiuncta)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quae scriptis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ad me commissa sunt, ea omnia probe intellexi. Quod autem attinet ad commeatus in vias pro iusto et aequo pretio subvehendos, causa Illustrissimae Celsitudinis Vestrae exercitus, qui per easdem vias iter est suscepturus, id ego nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae petens ad Sacram Regiam Maiestatem perscripsi, ac ipse litteras meas ad Capitaneos Regiae Maiestatis dedi, quibus illis de adventu copiarum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae significo et ad cogendos Regiae Maiestatis subditos, ut in promptu omnem habeant victum eiusque copiam militibus pro precio Illustrissimae Celsitudinis Vestrae faciant, hortor. Quamvis plus momenti litteras Regiae Maiestatis hac in parte habituras non dubito, quas procul dubio Sacra Maiestas ad Capitaneos suos est datura. Quicquid autem ad litteras meas, in hoc negotio scriptas, Sacra Regia Maiestas responderit, non negligam Illustrissimam Celsitudinem Vestram certiorem reddere, nisi forsan voluntatem Regiae Maiestatis melius est Illustrissima Celsitudo Vestra hac in re ex litteris Suae Maiestatis cognitura, quas fortassis ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram est datura...

Datum in Kupiski,[z] XIII Iulii, anno MDLVI.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor paratus
Nicolaus Radzivil, Palatinus Trocensis, etc.,
manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*Schedula adiuncta:*

Illustrissime Princeps, iussus quidem a Sacra Regia Maiestate fueram conscribere exercitum in oppido Salata dicto, id quod primis etiam litteris meis Illustrissimae Celsitudini Vestrae significaveram. Verum novum post Sacrae Maiestatis intercessit mandatum, quo id facere prohibeor, sed aliquot milliaribus exercitum ante oppidum hoc, illuc non perveniendo, sistere iubeor. Itaque Illustrissimam Celsitudinem Vestram certiorem reddo, me citra fluvium quendam Piawiesa [1] dictum stativa agere decrevisse, septem milliaribus a Salata distantem, ibique copias Illustrissimae Celsitudinis Vestrae opperire. Quae quam primum ad Salata oppidum hoc admoveri coeptae fuerint, velim, ut id aliquot ante diebus Illustrissima Celsitudo Vestra mihi significet.

1) *recte*: *Piewasa.*

*N. 1549.*

*Ex castris ad fluvium Mussa, 19.VII.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Trocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rumorem ad se allatum de morte archiepiscopi Rigensis* [*Gulielmi*], *ducis fratris, refert, ducem ad vindictam hortatur, ipse auxilium hac in causa offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Pro summa animi mei erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram benevolentia, mallem iucundarum semper laetarumque rerum Illustrissimae Celsitudini Vestrae nuntius esse, quam si quae adversa ac tristia accidant, eidem significare. Verum cum in hoc acerbo casu, qui non nisi magnum Illustrissimae Celsitudini Vestrae afferre potest dolorem, ita sim affectus, ut communem quasi cum Illustrissima Celsitudine Vestra mihi existimem calamitatem, non sane ferre possum, quin illi, quicquid mali est, significem.

Triste plenumque doloris ad me perlatum est nuntium, Illustrissimum ac Reverendissimum Principem Archiepiscopum Rigensem, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae germanum, iam ab hostibus misere privatum esse vita. Etsi autem, quo mortis perierit genere, incertum adhuc sit, cum varient nuntii huius ad me perlati autores, et num mortuus sit, pro certo affirmare nondum eciam audeam, tamen coniecturae tales sunt, quae magis in unam inclinant partem, quod minime iam sit superstes. Quidam veneno necatum dicunt, quidam scapulas balista illi decussas. Alii autem fame cruciatum occidisse. Sed quocunque tandem occisus sit modo, si modo occisus est, non puto Sacram Regiam Maiestatem, Dominum meum clementissimum, tantum facinus in consanguineum suum admissum impune praetermissuram.

Vestram sane Illustrissimam Celsitudinem non est quod adhorter, quem merito tam atrox iniuria, tanta indignitas ac contumelia, ingenita in suos charitas, ab ipsoque praecepta Deo, merito accendere debet, ut non ante conquiescat, quam vili huic et non timendo hosti omnia haec mala ab ipso facta cumulatissime rependat. Rogo tamen ac obsecro et

vehementer hortor, ut nullis omnium hominum persuasionibus, nullis hostium blanditiis Illustrissima Celsitudo Vestra se de proposito fortissime eam vindicandi iniuriam depellere sinat. Ego sane, qui post Regiam Maiestatem, Dominum meum clementissimum, non alium habeam, quem maiori observantia ac studio, quam Illustrissimam Celsitudinem Vestram colam, ac cuius dignitati, honori magis consulere cupiam, utinam vel ipse tantum virium habeam, quantum animi et cupiditatis est ad vindicandam tantam ignominiam, praeclarae huic familiae Marchionum Brandemburgensium, praesertim tibi, Illustrissime Princeps, illatam, non diu certe infamem hunc hostem solida frui laetitia paterer. Quantum tamen conniti viribus omnibus potero, divino auxilio implorato, non conquiescam, donec animo meo satisfecero, ubi saltem potestas belli gerendi a Sacra Regia Maiestate promissa mihi fuerit... Datum ex castris ad fluvium Musa, 19 Iulii, anno 1556.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
provolutus servitor et amicus
Nicolaus Radzivil, Palatinus Trocensis
etc. manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1550.*

*Vilnae, 20.VII.1556.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*rumorem de morte archiepiscopi Rigensis [Gulielmi marchionis Brandenburgensis], ducis fratris, cum dolore nuntiat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1551.*

*Vilnae, 21.VII.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de morte archiepiscopi Rigensis, ducis fratris [Gulielmi Brandenburgensis], « in manibus ac custodia adversariorum ».*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1552.*

*Posnaniae, 28.VII.1556.*

*Lucas a Górka, palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux moram in mittendo equitatu non negligentiae suae ascribat, sed regio mandato, quo sibi iniunctum sit, ut ab equis et armis paratus esset.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

N. 1553.

Posnaniae, 11.VIII.1556.

*Lucas a Górka, palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci nobilem Nicolaum Broniewski, militem veteranum, in servitium ducis ingredi cupientem, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

N. 1554.

Vilnae, 11.VIII.1556.

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis, Alberto in Prussia duci archiepiscopum Rigensem, ducis fratrem* [*Gulielmum*], *vivum et incolumem esse pro certo nuntiat; Petrum Paulum Vergerium, a duce sibi commendatum, commendatissimum sibi fore pollicetur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Hec Illustrissimae Celsitudinis Vestrae non singularis solum, sed plane admirabilis erga me pietas ac beneficencia, quam cum ex propensissima voluntatis eiusdem significacione, tum vero et xeniis ac muneribus, quibus me deditissimum suum afficere non cessat, quottidie magis ac magis experior, qualem michi ad colendam et venerandam Illustrissimam Celsitudinem Vestram stimulum superaddat, equidem verbis, ut animo satisfiat, exprimere nequaquam possum. Ut tamen meam sane animi gratitudinem aliqua saltim usitata ex parte declarasse videar, ago Illustrissimae Celsitudini Vestrae perpetuas ac infinitas gracias, quod me locupletissimo hoc favoris sui testimonio et tam prestantibus muneribus prosequi non dedignatur. Ego non solum in eorum per Vestram Illustrissimam Celsitudinem missorum usu, sed et in omnium, quecumque ex mea tenui facultate proficisci possunt, inservire semper volo honori ac dignitati Illustrissimae Celsitudinis Vestrae totaeque[z)] celeberrimae Domui huic Brandemburgensi, non solum fidei et observanciae meae integritate, sed et sanguinis, ubi ubi usus venerit, emissione.

Nam quod Illustrissima Celsitudo Vestra res et raciones Reverendissimi ac Illustrissimi Principis Archiepiscopi, si in vivis est, michi commendat, sin vero vivere desiisset, ut dignitati defuncti non desim, a me postulat, hoc pro certo compertum habeo ac Illustrissimam Celsitudinem Vestram, quam ex eo summam voluptatem percepturam scio, latere nolo Reverendissimum atque Illustrissimum germanum eiusdem incolumem esse. Cuius ego dignitati ac incolumitati, ut semel operam ac fidem meam devovi, ita et deinceps in rebus, ad Suam Reverendissimam atque Illustrissimam Celsitudinem pertinentibus, que maiore ex parte a me ipso sunt pertractate, omni studii mei integritate deesse nolo, idque Illustrissimae Celsitudini Vestrae ac Reverendissimo Illustrissimoque germano eiusdem persuassimum semper fieri cupio.

Reverendissimum et Clarissimum virum, Dominum Petrum Paulum Vergerium, Episcopum,[1] quem michi Illustrissima Celsitudo Vestra iterato ac diligentissime commendat, quique etiam michi suam voluntatem scriptis suis aliquocies comprobarit, in eorum numero, qui michi charissimi sunt, habebo, idque cum illius dignitatis, pietatis ac erudicionis, quibus rebus sese tam illustrem toto[z] Orbi Christiano reddidit, tum vero Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, que in complectendis huiusmodi hominibus acri utitur iudicio, commendacionis gratia facturus sum. Quod ut manifestius ac cum graviore fiat testimonio, unum ex meis ad illius Reverendissimam ac Excellentissimam Dominationem missurus sum, qui nomine meo cum ipso firmam ac stabilem iniret amiciciam. Cuius ego rebus et racionibus dignitatique, pro posse mea,[z] nunquam deesse volo, uti homini excellenti ac de fide christiana optime merito. Id illi ac Illustrissimae Celsitudini Vestrae, que in eum tali fertur propensione, facile polliceor... Datum Vilna, XI Augusti, 1556.

[a] Illustrissime Celsitudinis Vestre servitor
Nicolaus Radzyvyl etc. manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria*
z) *sic in ms.*
1) *Iustinopolitanus (Iustinopolis - Capodistria).*

*N. 1555.*

*Morawica, 12.VIII.1556.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis*
*Alberto in Prussia duci*
*cum primum de bello a duce et rege [contra Livones] movendo melius edoctus fuerit, non solum servitores et suppetias duci se missurum esse promittit, sed ipsum in persona sua profecturum.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Etsi sero Illustrissimae Celsitudinis Vestrae litterae mihi redditae sunt (cum enim is Vestrae Illustrissimae Celsitudinis servitor eas meo cuidam factori ad me mittendas tradidisset, ille tanti momenti eas esse minime ratus, mihi non ita pridem misit), tamen ego pro meo in Illustrissimam Celsitudinem Vestram studio et affectu non solum amicorum et Senatorum[z] meorum certum numerum pro necessitate Vestrae Illustrissimae Celsitudini missurus, sed etiam ipse profecturus eram. Verum cum Sacra Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus, ad quem non minus haec tam insignis, quam ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem pertinet iniuria, saepe nos de hac re certiores reddidisset, non vulgariaque offensi sui animi testimonia nobis aperuisset, non videbatur mihi operae precium prius servitores meos isthuc mittere, donec aliquid certius de bello in hunc hostem per Sacram Regiam Maiestatem Vestramque Illustrissimam Celsitudinem movendo cognovissem. Quandoquidem ego, ut certo futurum spero, ita iam omnia ad bellum necessaria in promptu habeo, ad quod cum primum per Sacram Regiam Maiestatem vel Vestram Illustrissimam Dominationem certior redditus fuero, non solum servitores

et suppecias mittere, verum etiam ipse summa cum allacritate proficisci curabo, ut meum studium affectumque, quem erga Vestram Illustrissimam Celsitudinem ab ineunte aetate semper gessi, testari etiam vitae meae periculo possim... Datum Moravicii, XII Augusti, anno 1556.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
Stanislaus Comes in Thancin
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1556.*

*Wiewiórka, 13.VIII.1556.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci*
*de infelici casu archiepiscopi Rigensis [Gulielmi marchionis Brandenburgensis] dolet auxiliumque promittit; de ordine et disciplina militari in Regno restituenda censet id solum per bellum, non in pace et otio, fieri posse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Sollicitus quidem de eo fueram, ut Illustrissimae Dominationis Vestrae postulationi satisfacere ac illius erga me propensioni et benevolentiae obsequio meo respondere potuissem, id ipsumque curabam, ut quem in tam brevi temporis spatio habere potuissem equitum numerum, quam primum iam ad Illustrissimam Dominationem Vestram ablegavissem. Sed quoniam negotium ipsum longe alium fortasse eventum iam sortitum est, quam sperabamus, doleo plurimum sane et ex animo et casum illum tristemque exitum Reverendissimi Domini Archiepiscopi, Illustrissimae Dominationis Vestrae germani, si ita accidit (quod utinam aliter se habeat), et simul etiam hoc non in postremis certe me male habet, quod intelligo hostem illum non parva letitia ex eo ipso affectum esse ac maiorem ferociam in animo, non sine indignitate quoque Sacrae Maiestatis Regiae, concepturum. Quemadmodum autem in praesenti hoc negotio meam erga Illustrissimam Dominationem Vestram observantiam hoc qualicunque officiolo testari cupiebam, ita et in posterum quovis tempore, quantum modo vires meae sufferre poterunt, libenter declaraturus sum me esse Illustrissimae Dominationis Vestrae observantissimum ac studiosissimum servitorem.

Quod autem attinet ad constituendum meliorem aliquem in Regno hoc ordinem et disciplinam militarem restituendam, qua hostibus resisti et salus Regni tutari possit, quamvis iam ab annis aliquot officium ipsum Capitaneatus Regni Generalis in manus Maiestatis Regiae a me resignatum est, nihilominus tamen, quantum ex me fieri potest, non cessavi nec cesso eam praestare operam et elaborare, quo pristinum rei militaris studium disciplinaque revocetur et redintegretur, nec omnino omnem spem abiicio, Deo dante, id ipsum futurum. Quandoquidem enim nil aliud, quam pax et otium, quod nos perpetuis iam his XVII annis domi con-

tinuit, disciplinam et rei militaris studium in Regno hoc restinxit ac pene iam in oblivionem induxit, superinductis luxu et desidia in eius locum, quae potissimum animos hominum pariterque corpora enervare ac bello minus utilia reddere solent. Non est dubitandum, quin, cum hostis Regno huic sit undiquaque proximus et iam fere Regni ipsius fines ac limites contingat, nos aliquando tandem e somno illo expergefacturos ac, desidia ipsa abiecta, de defensa sui cogitaturos... Datae in Wiewiorka, die XIII Augusti, anno MDLVI.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
[a] servitor
Ioannes Comes in Tarnow subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1557.*

*Stobnica, 16.VIII.1556.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de fratre ducis* [*Gulielmo, archiepiscopo Rigensi*] *capto et, ut rumore allatum est, veneno necato.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Periucundae mihi fuerunt litterae a Celsitudine Tua, quibus intellexi perspicere meam erga humanitatem tuam pietatem. Quid enim dicam benevolentiam, quum illud ipsum gravissimum et sanctissimum nomen pietatis? Quod autem grata Dignitati Tuae mea studia scribis esse, quod quidem certe non aliunde provenit (ut fert mea sententia) nisi ex quadam abundantia amoris.

Quid tandem de Reverendissimo ac Illustrissimo fratre Tuae Celsitudinis scribere debeam, nihil aliud existimo nec invenio, solum me omnibus viribus studiisque conari atque effici ea, quae scirem Dignitatibus Vestris haud incommoda. Quantum etiam intellexi ex litteris, quod quidem Reverendissimus frater Celsitudinis Tuae captus ab hostibus est ac etiam (ut rumor est) veneno necari esse creditur, quod quidem absit, tamen me hoc mirum in modum recreat atque refficit, quia adhuc nobis restat aliqua spes valetudinis Reverendissimi ac Illustrissimi fratris Celsitudinis Tuae, idque utinam haec ita sint. Inde etenim mihi est singularis voluptas ex vita Celsitudinis Tuae, perinde ac Reverendissimi Illustrissimique fratris, quem aiunt excidere e vivis, cuius obitum maximo cum dolore utor (perinde ac mihi ipsi accideret). Etsi res se ita haberet, multo etiam uterer. Sed haec hactenus. Quapropter si aliquod periculum immineret Dignitatibus Vestris, me semper paratum atque promptum, Deo approbante, ferre opem, et non modo me ipsum, verum etiam filium meum non postremum ad expediendum fore, dignemini scire. Sin autem aliquo negotio occupatus fuerim, ut fertur, Serenissimum nostrum Regem velle nos convenisse in unum, praesertim Warssaviae, tamen filium meum seniorem expedire non negligam. Haec itaque Celsitudini Tuae respondere

visum est. Quae et recte et prospere valeat. Datum Stobniciae, Augusti XVI, anno Domini MDLVI.

Tuae Celsitudinis servitor deditissimus
Martinus a Zborow, Palatinus Calisiensis,
Sidloviensis, Odalanoviensis, Stobniciensis etc.
Capitaneus.

*N. 1558.*

*Konin, 17.VIII.1556.*

*Stanislaus Lutomirski, pastor Koninensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ab episcopis vexatus, mandato regio (episcopis inspirantibus) haereticus proclamatus, parochiis spoliatus, implorat, ut dux apud regem et senatores non ecclesiasticos pro eo operam suam interponat.*
*(In schedula adiuncta suggerit, ut dux proximis Comitiis in persona adsit)*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Amplitudinem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ut Rex ille aeternus ac omnipotens largissima sua coelesti benedictione benedicat, una cum sua lectissima coniuge et suavissima ipsorum posteritate, toto precor pectore etc.

Commendata humilima servitute mea in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, eidem significo me non mediocri molestia, literis Domini Eustatii Trepka lectis, fuisse affectum. Quibus perscripserat Illustrem Amplitudinem Vestram, postpositis rebus theologicis ac domesticis, bellicis curis implicatum in Livoniam cum exercitu fines Ducatus sui egressum fuisse. Haec eadem multorum sermones apud nos quum sparsissent ac confirmassent, puero Regium Montem ablegato nullas literas dedi Amplissimae Celsitudini Vestrae perferendas. Ex cuius famuli mei literis quum intellexissem, et domi esse sanctaque pace ac beata frui quiete Illustrissimam Dominationem Vestram, non mediocri perfusus laeticia, arrepto calamo, iniurias meas simul et postulata nonnulla effudi in hanc papirum, in sinum clementiae Celsitudinis Vestrae perferenda.

Illustrissime Princeps, quia psychotyranni, cornutae illae Episcoporum simiae, id solum moliuntur et conantur, ut me quocunque tandem modo opprimant ac impotenti animo suo nece mea vindictaque sua gratificentur, omnino deliberavi confessionem fidei meae, per me Sacrae Regiae Maiestati et larvatis personatisque Episcopis ante biennium palam exhibitam, in lucem proferre, ut omnibus causa mortis meae (si me forte, ita Patre misericordiarum clementer volente, casus aliquis oppresserit) sit spectata et cognita.

Sacra Maiestas Regia proprio oris sui et publico Regni Comitiorum (Piotrkovie anno praeterito celebratorum) decreto, exemptum me ab iurisdictione dominantium Episcoporum, pace et quiete frui ac parochiis praesidere voluit, integra totius negotii religionis et iniuriarum mearum cognitione (quibus insigniter eram per Archiepicureum Gneznensem [1]) et

alios eiusdem farine Cyclopas affectus) reiecta et dilata usque ad diiudicationem ac decisionem Nationalis Concilii.

Hoc regium et publicum Comitiorum decretum est per ventrispirituales violatum. Vi enim et armorum subsidio impressionem in parochias fecerunt meas et ultra 500 florenos exacto praesentique anno proventuum mihi eripuerunt, interim diris maledictionibus et impraecationibus suis per omnia sua fana et per omnes synagogas, quibus me devovere sunt soliti, non omissis. Ego, tametsi non erat dificile reprimere adversarios violenter agentes, cohibui, Deo adiutore, affectus meos et intra metas vocationis meae constiti.

Hac iniquitate sua non exaturati, hostes gloriae Christi Domini professi, ante menses aliquot Sacram Maiestatem Regiam tandem suis technis eo praecipitarunt, ut, non habita ratione nominis sui, evulgaret ac in publicum daret mandata sua, severitatis et iniuriae (ut nihil gravius addam) plenissima, plane decreto suo proprio et Comitiorum Regni totius constitutioni contraria. Quibus mandavit, denunctiata gravi animadversione, ni pareant, ut Praesides Syradiensis et Coninensis me parochiis exturbarent etc., possessione papisticis sacrificis assignata. Causam huius suae vindictae in mandatis etiam suis Regia Maiestas hanc disertis verbis exprimit, nempe me esse iustis de causis per Reverendissimum Dominum Archiepiscopum Gneznensem privatum beneficiis, et esse haereticum.

Hanc tam insignem iniuriam (non agitur enim de parochiis et earum momentaneis proventibus) et Procancellarii contumeliam dissimulare non erat consilium. Qui ceu Sathanae flabellum, Rege in suam redacto potestatem, viam stravit tyrannidi suorum symmistarum. Horum enim regiorum mandatorum praesidio legitimam causae cognitionem ac disceptationem (quam ego, Senatus ac omnium Ordinum Regni interventu, multo sudore vix obtinueram) antevertere, imo impedire et omnino abolere conantur, protrito proprio regio et Comitiorum decreto et in nihilum redacto.

Ne itaque causae huic sanctissimae pro mea vocatione deessem, mense praeterito Posnaniae, in publico ac celebri iuditiorum regiorum consessu, praesidentibus Palatinis Poznaniensi[2] et Syradiensi[3] et aliis Regni Senatoribus, in frequenti ordinis equestris hominum corona, ea, que instigantibus ac agentibus Episcopis in me fierent, et quae in grave praeiuditium religionis etc. etc. aederentur aedicta, contra immunitates libertatesque nostras et publica Regni Comitiorum decreta, in medium protuli rogans, intercederent apud Suam Maiestatem, ne vis inferatur, indicta causa, veritati et legibus patriis etc. Haec querimonia plurimum Episcopos offendit. Vociferantur me hisce actibus et querelis publicis negotia Maiestatis Regiae implicatiora reddere, seditiones excitare. Id autem scriptis suis queruntur, ut Regem in me concitent.

Illustrissime Princeps, summa profecto est rei indignitas. Episcopi vim nobis adhibent, ministri ecclesiarum fideles vinciuntur, carceribus mancipantur,[a] necantur inedia, decreta proculcant pedibus, authoritatem Regis convellunt, nomen eius ignominia aspergunt, iura Regni proterunt, me fama, vita ac possessionibus exuunt et spoliant, verbum Dei aeternum conspuunt etc.

Ego, quia iniuriam insignem verbo Dei et mihi, infimo eius praeconi, inferri queror, seditionum et turbarum sator esse insimulor. Quum illos non pudeat tam indigna conari, quur me pigeret iustissimarum querellarum?

Sed ne tandem Sacra Regia Maiestas, Romani Basilisci[4] Achilophelonum consiliis, minis et promissis victa (varie enim versatur ac oppu-

gnatur rudis artium Romanensium eius animus), potentia sua in nos abutatur, demisse supplico Illustrissimae Vestrae Clementiae eamque hisce meis literis, ob amorem salutis nostrae et gloriae Christi Domini propagationem, obtestor, ne gravetur, pro sua eximia ac celebratissima pietate, Regiam Maiestatem diligenter admonere, etiam atque etiam caveat omni ope, ne hactenus innocentes manus suas sanguine piorum veritatis aeternae confessorum in gratiam Pontificis imbuat. Quin potius Concilium instituat, veritatem cum mendaciis committat, neque tantisper quicquam in ullam partem decernat, quoad de causa constiterit. Si convicti fuerimus (in legitima Concilii liberi Nationalis disceptatione) malam nos sustinere causam, nedum misericordiam petimus, sed in nos severiter animadverti ipsi postulamus. Fiat primum totius negotii cognitio, iuxta proprium Sacrae Regiae Maiestatis et Comitiorum Regni publicum decretum, neque prius aliquid statuatur.

Quoties ego supplex, praesens et absens, petii Archiepiscopum, ut errore commonstrato meliora doceret etc., sed praeter atroces minas, convitia, iniurias et crudeles cruentasque sententias in me latas, nihil retuli. Non incommode etiam et non abs re fieret, si Regni Senatores, sed non ecclesiastici, authoritate Amplissimae Celsitudinis Vestrae sui etiam officii commonerentur, ne iram divinam in se et suam posteritatem provocarent, momentanei lucelli gratia, quod iam obtruditur cupiditatibus illorum etc.

Conventus Varssoviensis, festo Crucis indictus, in gratiam Romani Principis et eius clientum, iuratorum mancipiorum, cogetur etc. Eo, ut Illustrissima Celsitudo Vestra literas suas in subsidium nostrum futuras mittat, rogo etiam atque etiam, nomine Ecclesiae Dei apud nos divinitus excitatae, vehementer. Commendo etiam clementiae Amplitudinis Vestrae aeditionem libellorum meorum, ut una cum famulis meis sub umbra imperii eius, negotio meo in bona quiete confecto,[b] ad me primo quoque tempore redeant. Christus Dominus virtutum Illustrissimam Amplitudinem Vestram aeternum foelicissimam servet. Amen. Datum in opido Conin, 1556, Augusti 17.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae servorum infimus
Stanislaus Liuthomirski, afflictus Coninensis pastor,
Secretarius Regius spretus, subscripsit manu propria.

a) *sequitur expunctum:* fame
b) *correctum ex:* confectum
z) *sic in ms.*

1) *Nicolaus Dzierzgowski.*
2) *Ianussius Latalski.*
3) *Ianussius Kościelecki.*
4) *Paulus IV (Carafa).*

*Schedula adiuncta:*

Multum emolumenti inde perciperet Illustrissima Celsitudo Vestra et sua posteritas, si Regni Comitia, quorum celebrandorum tempus et locum adhuc ignoramus, ipsa sua persona accederet etc. Illa omnia, quae per Legatos ambiendo (nihil obtinet), consequeretur. Plura literis credere non est tutum. Doleo iam aliquoties excussum me esse cursu meo, instituto Regiomontem. Illi, qui me persequuntur, sunt hostes perpetui Celsitudinis Vestrae. Connubium ante, ni fallor, novem annos disturbarunt, nihilominus Deus abunde aliunde pensavit. Senatu excludunt, sed sunt remedia, quibus Deus iis, qui ambit[z] (iusticia et aequitate[a] sua freta) multa maiora Celsitudini Vestrae compensabit.

*Alia schedula:*

Libenter aliquem tuorum, Illustrissime Princeps, fidelem Consiliarium alicubi compellarem, cui ea, quae in rem Tuae Celsitudinis sunt, fideliter communicarem. Si me Deus Optimus Maximus his molestiis levaverit aliquantisper, non committam, quin ipse alloquar Amplitudinem Tuam Illustrissimam.

a) *in ms.* aequite
z) *sic in ms.*

*N. 1559.*

*Bar, 22.VIII.1556.*

*Casparus Radłowski, virginum reginularum Poloniae cubicularius, Stanislao Pierzchliński*
*de imperatoris in Flandria commoratione nuntiat; de fratre eiusdem Pierzchliński se nihil scire significat; reginulas, amicos et notas sibi dominas ac virgines salutat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.387.*

Moi laskawy, mily panie Pierzchlinski.

Pisacz W.M. dlia insego od Cro. Iei M. zatrudnienia nie mogę, iedno W.M. barzo dzienkuie, is mnie W.M. listi szwemi przepominacz nie[a] raczi, czo ia zawdy W.M. odslugowacz bendą. Abowiem stąd znam, is mnie W.M. miluies. Ia thes s strony szwei iestem W.M. takiem prziiaczielem, is w mierze thei zadnemu powinowatemu W.M. nicz naprzod nie dam. Czo potym W.M. po mnie zawdy poznas, gdy szie stąd za laską a pomoczą Bozą wroczą.

Nowiny wsiczki W.M. wyrozumiecz bendzie raczil s pana pisarza. Dlia czego ich thu pisacz nie chczą, a chocz bym tes nabarziei szie napieral, tedy czassu nie mam. Proszą, wyprawczie p. Adamowskiego ze rychlie, bo go tu iedno czekam, a nierad bym dlugo. Czesarz[1] iesth we Flandriei, dlia czego o braćzie W.M. nicz wiedziecz nie mogę. Wszakos iesli szie traffi, mozesz mi W.M. uffacz, ize go nie opusczę. W. panu Grotowi, p. Rąbinskiemu, p. Pierzchlinskiemu, p. Rakowskiemu, p. Konieczkiemu i insem szwem i moiem panom thowarzisom, proszę, racz mnie tam W.M. zalieczicz, a naprzod iesli szie godzi, Croliewnam Ich M., moiem M. pannam, namnieisze sluszby moie W.M. racz zalieczicz, bom ia thes to szam s strony W.M. ku Cro. Iei M. uczinil i list-em W.M. Ie. Cro. M. czital. Aliecz szie sam po czo nie mas kwapicz.

Ich M. paniei i pannie Smigielskiei, pannie Skorucziancze i ynem wsiczkiem pannam sluzby i nabozne moie modlithwy w laskę W.M. racz zalieczicz. A powiedz W.M., is ie szam Cro. Iei M. często s placzem wspominacz raczi, frasuiącz szie sswemi nierki etc.

Iego M. panu ochmistrzowi, p. Makowieczkiemu, p. Boguskiemu, p. Kumelskiemu, p. Adamowskiemu et caeteris omnibus generaliter, racz tam W.M. ut amicus zalieczacz, iako ia thesz szam W.M. nie przepominam.

A s tym szie lascze W.M. zalieczam a za nowiny dzienkuie i proszę, nie racz mnie po thym W.M. pisaniem szwem zaniechywacz. Dan z Baru, dnia 22 Augusta 1556.

W.M. sluga i thowarzis
Gaspar Radlowski subscripsit.

a) *supra lineam.*
1) *Ferdinandus I.*

*N. 1560.*

*Vilnae, 29.VIII.1556.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Stanislaum Myszkowski, incisorem Regni Poloniae, capitaneum Marienburgensem, nomine regis ad ducem proficiscentem, commendat et rogat, ut illi dux fidem non dubiam et aures faciles praestet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1561.*

*Vilnae, 9.IX.1556.*

*Ioannes Lutomirski, castellanus Ravensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut Constantinus Kuncewicz, homicida, in Prussia latitans vel latitandi causa istuc adventurus, capiatur et detineatur.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Constantinus Kunczewicz, Ioannis Kuncze, thelonei Cownensis tenutarii, filius, occiso nobili iuvene Bartholomeo Krzizanowski, cliente meo, qui mihi ob recte domus meae gubernationem merito charissimus erat, in Ducatu et dominiis Illustritatis Vestrae latitare dicitur, praesertim in confinibus iis, qui Lituanicis sunt contigui, homo, qui omnem aetatem et studium non modo in rixis et contentionibus continuis contriverit, verum et aliquot homicidiis voluntariis vitam conspurcare non dubitaverit. Novissime vero hoc facinore tantum specimen soliti exercitii sui aedidit, ut parum illi visum esset in aula Principis hominem, nunquam antea a se visum, tantum abest, ut aliqua iniuria ab eo provocatus fuerit, ex insidiis interimere, nisi etiam sponsionem militarem, qua per Aulae Regiae Supremum Marschalcum [1] obstrinctus erat, fuga violasset.

Quam ob rem ab Illustritate Vestra summis praecibus flagitto, ut per Praefectos suorum finitimorum locorum, artium et oppidorum, si vel isthic latitet vel latitandi causa adventet, secundum literas Maiestatis Suae compraehendi et detineri illum iubeat. Factura Illustritas Vestra et Maiestati Suae rem gratam, se vero, Principe christiano, rem dignam,

tum a me non modo paribus officiis in praefecturis meis, verum et omnibus, quibuscumque studiis potero, demerendam... Datum Vilnae, IX mensis Septembris, anno Domini MDLVI.

Eiusdem Illustritatis Vestrae
servitor promptissimus
Ioannes Lywthomyrski, Castellanus Rawensis etc.,
manu propria subscripsit.

1) *Stanislaus Maciejowski.*

*N. 1562.*

*Cracoviae, 22.IX.1556.*

*Ioannes Boner de Balice, castellanus Biecensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Franciscum Lismaninum Corcyraeum, theologiae professorem, commendat.*
*Sigill. Autogr.*
*(Iam ed. Wotschke, Lismanino, suppl. I)*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Neminem, Illustrissime Princeps, dubitare arbitror, quanta sit in Christi causa conservanda pietas, virtus, constantia, sapientia et fides Illustrissimae Celsitudinis Tuae. Nemo non fatetur Illustrissimam Celsitudinem Tuam suscipere eos in fidem patrocinarique iis, qui pietatis christianae propagandae sunt studiosi, ita ut genus hoc bonitatis magnanimitatisque in Illustrissima Celsitudine Tua minime desyderatur,[a] quae si in aliis Principibus elucet, in Illustrissima Celsitudine tamen Tua longe splendet illustrior. Quum igitur praestantissimus vir, Doctor Lismanninus Corcyraeus, sacrae theologiae Professor, qui ob illucescentis Evangelii profectum, et ut ii, qui religionis aliquo studio tanguntur, ab eo informarentur, esset a multis renascentis Ecclesiae Christi ministris huc vocatus, ob repudiatam abominationem papisticam, sit eius farinae hominibus adeo exosus, ut usque eo invaluit[b] illorum furor, quo nullus illi sit magis in Regno hoc locus, et cum neminem habeat, qui talibus furiis pro eo patrocinium suum opponat, ad Illustrissimae Celsitudinis Tuae fidem supplex profugit, obnixe rogans, ut illum in clientellam suam suscipiat, non dubitans se ex Illustrissima Celsitudine Tua non tantum iustum, sed et strenuum defensorem habiturum. Cum autem me quoque unum esse non nego, qui cognoscendi verbi Dei veritatisque evangelicae cupiditate maxima tangor, continere non potui, quin pro tanto viro partes meas ad Illustrissimam Celsitudinem Tuam interponerem, cum ob zelum, quo erga purum Evangelii verbum et erga syncerum Dei cultum aestuor, tum ob singularem amorem, quo erga illum rapior.

Commendo itaque hunc ipsum ornatissimum virum Illustrissimae Celsitudini Tuae, et tanto magis, quanto ille sibi maiora de eadem pollicetur. Qua spe frustrari illum quo non paciatur, summopere rogo. Est equidem iustum et maxime consentaneum Illustrissimae Celsitudini Tuae nec aures nec animum a tam iusto patrocinio avertere, praesertim ubi de tanta re agitur, nempe quomodo Dei gloriae sua constet in terris incolumitas, quomodo suam dignitatem veritas retineat, quomodo Regnum Christi sartum tectumque inter nos maneat. Unde habitura est Illustris-

sima Celsitudo Tua a Deo Optimo Maximo locupletissimam remuneracionem, a me vero una cum nominato viro indefessam reserviendi cupiditatem. Cum his Dominus noster Iesus Christus protegat ac tueatur Illustrissimam Celsitudinem Tuam eamque regat ac gubernet suo Sancto Spiritu. Cracoviae, XXII Septembris, anno salutis humanae MDLVI.

Illustrissimae Celsitudinis Tuae
deditissimus servitor
Ioannes Bonar de Balicze, Castellanus Bieczensis,
manu propria.

a) *sic in ms., pro*: desyderetur
b) *sic in ms., pro*: invaluerit

*N. 1563.*

*Posnaniae, 22.IX.1556.*

*Lucas a Górka, palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci*
*pro Matthia Wołyniec, ut ei cum occisoribus filii sui adolescentis, in Academia Regiomontana litteris ediscendis operam dantis, administretur iustitia.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non sine magno animi dolore querellam Mathiae Woliniecz, servitoris nostri, Illustrissime Princeps, accepi, qui filium suum unicum, quem habuit in Academia Regiomontana sub dicione Illustrissimae Celsitudinis Vestrae litteris incumbentem, infoelici fato infoelix nuper amisit. Nam et adolescentis immeritam mortem iure omnes dolemus et senis patris squalorem, qui avo et parenti nostro piae memoriae olim fidelis et diligens servitor extitit, nobis item non incommodam eciamnum praestat operam, moleste ferre cogimur. Hunc tamen nostrum et miseri patris merorem non parum, Illustrissime Princeps, solabatur Illustrissimae Celsitudinis Vestrae omnibus testata ac nobis perspecta pietas et iusticia, non inultam fore tristem immeriti adolescentis cedem, authoremque cedis superbum funeri innocenti superstitem non futurum. Quod quidem ego pro mea opinione, quam de Illustrissimae Celsitudinis Vestrae integritate et severa iusticiae execucione semper indubitatam obtinui, certo mihi polliceor. Verum iterata querella maestus parens lamentatur et graviter incusat, non quidem Illustrissimam Celsitudinem Vestram, de cuius iustissimo animo nihil addubitat, sed quosdam male doctos legum interpretes, qui authoribus cedis officiose magis quam iuste patrocinantur. Horum itaque callida et inversa veritus preiudicia, meam apud Illustrissimam Vestram Celsitudinem intercessionem efflagitavit, ut, quod Illustrissima Celsitudo Vestra alioquin lubens officio suo adducta factura erat, id eo prompcius pro singulari sua in nos benignitate et favore praestaret, utque sic calumniis cedi patrocinancium plus mea pro iusticiae execucione intercessio apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram valeret. Quam ob rem diligentissime peto, Illustrissima Celsitudo Vestra hoc negocium pro eximia sua prudencia et iusticia ita moderetur et transigat, ut maiorem iusticiae racionem, quam calumniae et calliditatis, habuisse apud omnes inveniatur. Ego vero cum meis omnibus Illustrissi-

mae Celsitudini Vestrae ad quaevis in graciam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae obeunda paratissimum animum semper exhibebo... Datum Posnaniae, XXII Septembris, anno Domini MDLVIto.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis servitor
Lucas Comes a Gorka, Palatinus Brestensis,
Capitaneus Buscensis, manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1564.*

*Varsaviae, 9.X.1556.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de molestiis, quibus magister Livoniae [Henricus a Galen] archiepiscopum Rigensem [Gulielmum marchionem Brandenburgensem], ducis Alberti fratrem, afficit et vexat, vehementer indignatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum is ego sim, qui laeta omnia atque felicia Illustrissimae Celsitudini Vestrae ac Inclyte Domui illius Brandenburgensi cupiam et optem, posteaquam intellexi, et quam acerbis iniuriis Magister et Ordo in Livonia Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Vilhelmum Marchionem Brandenburgensem Archiepiscopumque Rigensem, Celsitudinis Vestrae Illustrissimae fratrem, afficiat, et quam graviter molesteque id Illustrissima Celsitudo Vestra ferat, non potui non vehementer dolere. Atque pro meo erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram propenso addictoque studio comprimis optabam, ut temeritas haec illorum nefaria pro dignitate vindicaretur et Illustrissimus Reverendissimusque Dominus Archiepiscopus Rigensis in integrum restitueretur. Quod ut tanto commodius confieri posset, quoties eius rei dabatur occasio, studiosam semper apud Sacram Regiam Maiestatem Illustrissimae Celsitudini Vestrae navabam operam.

Caeterum et Senatores Regni huius eo sunt erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram animo, ut, cum ea res in consilium venisset, non modo suaserunt, verum etiam constanter pecierunt a Sacra Regia Maiestate, ut armis tandem eiusmodi propulsaret contumelias, quas Livones in contemptum illius Maiestatis his, qui arcta attingunt eam sanguinis necessitudine, inferre non desistunt. Quod facere iam serio Regia Maiestas decrevit. Qua de re atque de reliqua omni ratione bellandi ex litteris Sacrae Regiae Maiestatis et nuntio Illustrissima Celsitudo Vestra latius intelliget...

Varschavia, 9 die Octobris, anno Domini MDLVI.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Oczieski manu propria.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1565.*

*Varsaviae, 12.X.1556.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux Christophoro Konarski, regis aulico, ad ducem misso, in omnibus, quae nomine etiam suo dicturus sit, fidem praebeat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1566.*

*Osiek, 21.X.1556.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*de bello magistro Livoniae [Henrico a Galen] sine mora inferendo.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum nuper Varssoviae praesens Sacrae Maiestati Regiae adessem, nihil sane a me pretermissum fuit in negotio isto Livonico, quod non Maiestati Suae diligenter suggessissem,[a] quae modo ad Sacrae Maiestatis ipsius honorem, dignitatem et existimationem dominiorumque Maiestatis Suae pacem et tranquillitatem conservandam pertinere visa sunt, quaeve officium meum, ut submonerem, efflagitare videbatur, demonstrando, quantum ea res ad Maiestatis Suae dignitatem, honorem et existimationem pertineat, quanta pericula atque incommoda provinciis atque dominiis Maiestatis Suae allatura sit, nec omnino fieri posse, ut res ea, salva Maiestatis Suae existimatione, negligi ullo modo possit et acceptarum iniuriarum memoria obliterari. Futurum enim, ut, si hosti illi insolentissimo tot iniuriae et offensiones condonarentur, nemo non existimet Maiestatem Suam ita esse iniuriis obnoxiam, ut eas depellere vel nolit vel nequeat.

Quae res et hostis istius insolentiam augere et alios denique, exemplo quodam, excitare possit, ut quidvis contra Maiestatem Suam impune se ausuros sperare possint. Non solum itaque expiandas esse tot offensiones et ulciscendas tantas iniurias Maiestati Suae persuadere conatus sum, sed insuper etiam, quandoquidem nulla alia ratione dignitati et existimationi Maiestatis Suae satis fieri posse apparet, inprimis necessarium esse, mea quidem sententia, arbitratus sum, ut bellum, quantum maxime fieri posset, accelleretur, nec in proximum ver differatur. Hoc ipsum enim, ut Maiestati Regiae ad rem bene conficiendam plurimum commodare posset, ita illis eo ipso magnae praeriperentur opportunitates, cum nec consilia sua explicare, nec vires suas ullorum externorum auxiliorum accessione firmare, nec se ullis externis praesidiis munire possent. Nam licet difficile quidem videatur hiemis tempore bellum geri, cum ob alia incommoda, tum vero maxime ob coeli intemperiem, longe tamen minora sunt ea incommoda, quam ut tot opportunitates et rei bene gerendae occasiones propterea amitti debeant. Cum enim in ipsam Livoniam (ut auditur) ob loca passim limosa ac stagnantia difficilis sit

aditus, non facilius ea penetrari posse apparet, quam ipso hiemis tempore, e diverso autem ipsis instruendi in silvis, quarum periti sunt, insidias et se occultandi omnis eriperetur facultas. Nec difficile alia porro hiemis incommoda mitigari possent et utcumque tollerari, cum non desint frequentes pagi et oppida.

Nam quod ad pacis conditiones attinet, Sacrae Maiestati Regiae exposui eas vix ullas honestas et tollerabiles offerri ab iis posse, nisi Reverendissimus Dominus Archiepiscopus [1] in omnem suam pristinam restituatur autoritatem et dicionem, ac de damnis etiam et impensis satisfactum fuerit. Quid vero Sacra Maiestas Sua animi habeat et quid Nuncio Illustrissimae Dominationis Vestrae a Maiestate Sua responsum sit, arbitror Illustrissimam Dominationem Vestram iam non ignorare. Ego sane, quamvis prius isthinc a Maiestate Regia recessi, quam Nuncio Illustrissimae Dominationis Vestrae responsum datum esset, intellexi tamen Maiestatem Suam negocium hoc in proximam aestatem differre. Quod quapropter Maiestas Sua faciendum existimet, nec sibi diversum persuaderi patiatur, scire non possum, nisi quod minus fortasse paratam se et instructam arbitratur. Ego certe, quantum potui et quidem diligenter, ea Maiestati Suae suggessi, quae tum ad Maiestatis ipsius dignitatem, tum provinciarum Maiestatis Suae salutem et tranquilitatem pertinere intellexi.

Quod vero Illustrissima Dominatio Vestra de Magistro Theutonicorum scribit, se nempe de eo submonitam, quod is in Prussiam aliqua moliri videatur, non dubium est, si negocium istud Livonicum in tam longum tempus differetur, eo ipso non parum animi illis accessurum, Regiae porro Maiestati non iam cum uno hoste bellum gerendum fore. Illustrissima itaque Dominatio Vestra dignetur aliquem e suis ad hanc proximam Regni Conventionem mittere, per quem ea, quae a Magistro Theutonicorum terris Prussiae imminere videntur, exponantur pericula. Ego vero nihil in eo negotio de sollicitatione mea et studio remittam Maiestatique Regiae ea persuadere conabor, quae maxime expedire videbuntur... Datum in Ossiek, XXI die Octobris, anno Domini MDLVI.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
[b] servitor
Ioannes Comes in Tarnow subscripsit.[c]

a) *in ms.* suggegississem
b)-c) *manu propria.*
1) *Gulielmus Brandenburgensis.*

*N. 1567.*

*Varsaviae, 26.X.1556.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*regi gratam esse in periculis praevidendis ducis vigilantiam nuntiat audaciamque magistri Ordinis Theutonicorum et Livoniensium armis punitum iri affirmat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Quae mihi Illustrissima Celsitudo Vestra tam de Magistri Ordinis Theutonicorum in Germania,[1] quam Livoniensium, adversus has Regno

isti adhaerentes regiones apparatu bellico scribit, retuli ea omnia quanto potui diligentius Sacrae Regiae Maiestati. Cui gratissima est haec Illustrissimae Celsitudinis Vestrae industria et vigilantia, quae partes in omnes prospicere, hostium conatus previdere ac pericula quaevis praemonere non cessat. Caeterum, posteaquam deliberatum est Sacrae Regiae Maiestati, ex sentencia Senatorum Regni, armis hanc Livonici Ordinis nefandam audatiam compescere, nullas plane cum perspiciendorum moliminum hostilium, tum periculorum undique avertendorum, praetermittit occasiones. Atque in eo studium cogitacionemque suam praecipuam posuit, ut omnia, iusto huic bello recte atque prudenter administrando necessaria et oportuna, tempori conficiantur, rationesque interea ac momenta quaevis colligit et describere curat, quibus commodissime rectus et sufficiens bellandi modus observetur. Quae quidem omnia tam mature Sacra Regia Maiestas perficere constituit, ut et Germanorum, si qui fuerint, hostiles conatus praeveniantur, et Livonicus Ordo, armis celeriter petitus, priusquam speret, impiae temeritatis suae poenas luat... Varsoviae, XXVI Octobris, anno Domini MDLVI.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski, Cancellarius, subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Volfgangus Schutzbar.*

*N. 1568.*

*Varsaviae, 27.X.1556.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de auxilio terris Prussiae ferendo et de earum defensione ante Comitia regem nihil statuere posse significat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Pro summa mea in Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia proque eo deserviendi studio, quod ad omnes occasiones Illustrissimae Celsitudini Vestrae saepius detuli, egi et ago apud Sacram Maiestatem Regiam, Dominum meum clementissimum, diligenter ea omnia, quae Illustrissimam Celsitudinem Vestram velle intellexi. Neque sane Sacra Maiestas Regia in iis ipsis se segnem praebet, sed ante Comitia Regni ipsa quidem sine Ordinibus Regni nihil eiusmodi statuere potest. Cum autem Comitiorum tempus advenerit, non cessabo ego admonere Sacram Maiestatem Regiam, Dominum meum clementissimum, ut de ferenda terris Prussiae ope deque certa eius defendendae ratione publice consilium ineatur... Datum Warschowiae, XXVII die Octobris, anno Domini MDLVI.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Regni Poloniae Vicecancellarius
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1569.*

*Posnaniae, 31.X.1556.*

*Andreas Lupsiński, comitum a Górka servitor,*
*ad notitiam ducis in Prussia*
*confirmat sex falcones, a duce Alberto missos, sibi in absentia dominorum suorum per Henricum, ducis servitorem, redditos esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1570.*

*Tomice, 1.XI.1556.*

*Sophia Tomicka de Oporów, uxor Ioannis Tomicki, castellani Rogoznensis,*
*ad notitiam ducis in Prussia*
*confirmat duos falcones, marito suo a duce Alberto missos, sibi in absentia mariti per Henricum, ducis servitorem, redditos esse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1571.*

*Varsaviae, 14.XI.1556.*

*Stanislaus Ławski, palatinus Masoviae et regis ibidem vicesgerens,*
*Alberto in Prussia duci*
*intercedit pro Stanislao et Iacobo Gołyński (vel Goliński), filiis olim Ioannis, et eorum fratribus adhuc minorennibus, ut eis dux in tutores et gubernatores legitimos in locum demortui Petri Kobrza, capitanei Nithboriensis (Neidenburgensis), sufficiat Ruffum, capitaneum Nithboriensem, et Ioannem Junosza, succamerarium Wisegradensem, avunculum ipsorum, Albertum autem Finck, iudicem Olstinensem (Hohensteinensem), et dominum Gardinski, tanquam suspectos, e tutoria et gubernatione dimoveat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1572.*

*Varsaviae, 15.XI.1556.*

*Andreas a Górka, capitaneus Valecensis, Colensis et Gnesnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro fratribus Gołyński (Goliński) intercedit, ut eis dux novos tutores constituat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.387.*

*N. 1573.*

*Varsaviae, 5.XII.1556.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*operam se suam apud regem interposuisse nuntiat pro commendatis sibi a duce concionatore et ludi magistro Gedanensium et Elbingensium.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Acceptis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae litteris, quibus mihi id negocii dat, ut pro Gedanensibus et Elbingensibus apud Sacram Maiestatem Regiam laborem, ne publicum litterarum sacrarum interpretem ludique litterarii magistrum, quorum uterque se bene inculpateque gerat, inviti abigere cogantur, cum pro summa mea in Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia, tum quod christianum christianos iuvare oporteat, diligenter preces meas apud Sacram Maiestatem Regiam pro eis civitatibus interposui ostendique non solum aequissima esse, quae nomine illarum petuntur, sed etiam nonnihil, his praesertim temporibus, si negligantur, imminere periculi. Idque ipsum ut plus valeret et Illustrissimae Celsitudini Vestrae notius fieret, quasi testem eorum, quae locuturus essem, Dominum Capitaneum Marieburgensem [1] adhibui, qui et interfuit orationi meae et Illustrissimae Celsitudini Vestrae responsum regium poterit perscribere. Quod quidem Sacra Maiestas Regia in eam sententiam dedit: se, quod ad res sacras et religionem attinet, Episcopi iurisditionem et imperium tolerandum, neque retractandis mandatis cohibendum putare. Itaque et concionatorem et ludi magistrum arbitrio Episcopi praefici et tolli oportere. Tametsi sane Sacra Maiestas Regia et agnoscit et non obscure fatetur asperius et durius Episcopum [1] agere, quam vel res postulet vel tempora patiantur. Neque obstat, quominus civitates supramemoratae suis concionatoribus, interim dum pontificii isti, qui ab Episcopo constituti sunt, publice docent, privatim utantur. Qua quidem in re Illustrissima Celsitudo Vestra suum illis consilium, quod et Deo placiturum et cum dignitate regia futurum sit, uti equidem spero, impartiri non gravabitur... Datum Varsseviae, die V Decembris, anno Domini MDLVI.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
perpetuus servitor
Stanislaus Comes in Thancin subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Stanislaus Myszkowski iunior.*
2) *Ioannes Drohojowski, episcopus Cuiaviensis*

*N. 1574.*

*Varsaviae, 12.XII.1556.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*intercessionem suam in rebus religionis et auxilium Francisco Lismanino, a duce sibi commendato, promittit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Pretermittere nolui, quin Tuam Celsitudinem litteris meis non invi-

serem. Oblate sunt mihi littere a Tua Celsitudine per cives Elbigenses, quibus Tua Celsitudo me petiit, ut illis primum, verum etiam Gedanensibus, coram Maiestate Regia succurerem. Quid [z] attinet de rationibus religionis ac de aliis observantiis, et presertim primum in facienda iustitia, ut essent in omnibus conservate, prout ab decessoribus Sacre Maiestatis Regie conservabantur, nec dubito, cum ad id perventum fuerit in hac Conventione Generali, quod Sacra Regia Maiestas omnia factura sit. Nullam tamen moram fatiam, quin hoc Sue Maiestati Regie non significem. Inprimis allate mihi erant littere a Tua Celsitudine quaedam, ex quibus intellexi quidam [z] Franciscum Lismaninum ad religionis vere christiane fidei venturum seu declinatum, ut illi ad Sacram Maiestatem Regiam quodam iuvamine essem. Non pretermittam, quin illi meo iuvamine non interessem. At tamen cum ad religionis disputandi principium venerit, aliquoties enim de illo Sacre Maiestati Regie significaveram ac litteras intercessorias scripseram non tantum Suae Maiestati, verum etiam Magnifico Domino Castellano Cracoviensi a Tarnow, qui etiam pollicitus est illi coram Maiestate Regia iuvamine esse. Ego enim, tanquam verus sic in servitiis promptus, quin ex mandatis Tuae Celsitudinis mihi sic rebus ac rationibus non inservirem?... Datae Warschawie, die XII Decembris, anno Domini 1556.

Tuae Celsitudini addictissimus
Martinus a Sborow, Pallatinus Calissiensis,
Oddalanoviensis, Schidloviensis, Stobnicensis
etc. Capitaneus.

z) *sic in ms.*

*N. 1575.*

*Varsaviae, 13.XII.1556.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*in negotio Francisci Lismanini, a duce sibi commendati, cum is iam publice proscriptus sit, nihil se pro eo a rege obtinere potuisse nuntiat.*
*Sigill.*
*(Iam ed. Wotschke, Lismanino, suppl. IV).*
*H B A, B 2, K.387.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Si cui unquam cuperem ex animo obsequi et studiose gratificari, certe id cum primis Illustrissimae Celsitudini Vestrae praestare fuerit mihi iucundissimum, quandoquidem ea me semper gratia et benignitate prosequatur, quam ego hactenus me demeruisse non existimo multumque illi me debere fateor, neque est quicquam eiusmodi, quod non pro voluntate Illustrissimae Celsitudinis Vestrae libenter efficerem, si modo in mea id esset potestate.

Caeterum quod proximis literis suis de Francisci Lisimanni [z] negotio, ut curarem, mihi iniunxit, etsi is, professione sua reiecta, in Regnum hoc liberum, a nullo magistratu vocatus, venire ausus fuerit, et ad res novandas presentemque Reipublicae statum perturbandum spectare diceba-

tur, facilius tamen veniam illi et clementiam Sacrae Regiae Maiestatis in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae impetrassem, si re integra mihi id commisisset. Sed cum iam instantibus iis, quibus curae est, ne quid in veteri ritu religionis innovetur, edictis et diplomatibus Sacrae Regiae Maiestatis publice proscriptus sit, non videre se dicit illius Maiestas, qua ratione possit, integra dignitate sua, ea, quae semel de illo statuit, revocare. Quam ob rem si minus hoc in negocio Illustrissimae Celsitudini Vestrae satisfacere potui, non id negligentiae meae ascribat, sed rem omnem pro ratione temporum aequi bonique consulere dignetur. Quibuscunque autem aliis in rebus promptam et addictam voluntatem meam illi declarare potuero, nihil est, quod fecero lubentius... Varssoviae, XIII Decembris, anno Domini MDLVI.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

# 1557

*N. 1576.*

*Varsaviae, 2.I.1557.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*intercedit pro Łoknicki, ducis aulico, ne dux eo offendatur, quod diutius in Lithuania commoratus sit et ante non redierit.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1577.*

*Birże, 8.I.1557.*

*Petrus Oborski, aulicus palatini Trocensis* [*Nicolai Radziwiłł*],
*Alberto in Prussia duci*
*de salute archiepiscopi Rigensis* [*Gulielmi marchionis Brandenburgensis*] *et de aliis rebus ex Livonia per perscrutatores sibi allatis.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Porro, Princeps et Domine Clementissime, quod Vestra Illustritas ad me scripsit per Vestrae Celsitudinis fratris et Dei gratia Archiepiscopi Rigensis etc. famulum, Stanislaum Voget, ut Vestram Celsitudinem certiorem facerem de his, quae hic iuxta terminos Livonienses, et praesertim de fratris Celsitudinis Vestrae salute Reverenditatisque ipsius Episcopatu Rigensi etc., aguntur, in hoc, Princeps et Domine Clementissime, sciat Vestra Celsitudo, quod semper maximam, quam potero, do operam et dabo sine ulla Vestrae Celsitudinis admonitione, quia Dominus meus clementissimus, Palatinus Trocensis etc., me semper ad hoc quam diligenter admonet, imperat atque mandat, ut in hoc diligentiam adhibere velim. Et sciat quoque, [quod] cum his temporibus Vilnae eram, venit meus perscrutator ex Livonia, et quae ille ex isto loco attulit, ego [a] Consiliariis Sacrae Regiae Maiestatis, nempe Palatino Vilnensi [1] etc. et Palatino Trocensi [2] etc., Domino meo clementissimo, indicavi. Et quod ad Vestram Celsitudinem statim responsum non dedi, primo me impedivit, quod Vilnae et non Birzae eram, secundo, quod perscrutatorem ex istis locis expectabam, quum ille, qui Wenden fuit, non potuit in hoc satisfacere, sed in his diebus alium expecto, qui me, Deo volente, de his rebus

certiorem reddet. Et quoque de salute fratris Vestrae Celsitudinis, Deo volente, certior ero, quia literas ab illius Illustritate expecto. Sciat quoque Vestra Celsitudo, quod Illustrissimus Princeps et Dominus Archiepiscopus Rigensis, frater Vestrae Celsitudinis, iam est in arce Lemsella,[3] quia cum Dominus Bobrowieniczky,[4] qui ablegatus fuerat a Regia Maiestate, revertebatur ex Livonia, isti lorcones Livoniae mandaverunt illius[b] Illustritatem ad Lemsellam equitare, ubi adhuc est. Et etiamsi huc allatum est, quomodo illius Illustritas aegrotaret, tamen non dubito, quin[c] ipsa sit iterum in corpore sano.

Insuper, Princeps et Domine Clementissime, quid[z] attinet ad horum perversissimorum hominum Livoniensium cogitationes intricatasque consiliationes, scit Vestra Celsitudo, quod Legati Regiae Maiestatis Danorum,[5] una cum Legatis Ducis Cliviae[6] et Magdeburgensium, adhuc sunt in Livonia, cum quibus astuta consilia quotidie capiunt et pacem tranquillitatemque desiderant, et quanto hoc ei[z] citius, tanto melius putant.

Miserunt quoque iam suum tabularium[z] ad Sacram Regiam Maiestatem Poloniae etc. ad ipsorum legationi tutum iter vel litteras passus ad Regem Poloniae etc. petendum,[d] qui hinc ex Vilna 16 Decembris ad Sacram Regiam Maiestatem equitavit. Quicquid autem in Comitiis eorum agatur, Deo volente, in brevi tempore Vestrae Celsitudini per meum famulum significabo. Quia in paucis diebus alium perscrutatorem ex Livonia expecto, spero quoque hunc mihi aliquid certi allaturum esse, etiamsi, Illustrissime Princeps, ego in hac re non sum callidus neque astutus. Tamen scio, quia colloquia spargunt et animum ipsorum declarant. De facienda pace et concordia promissa illorum ad finem non stabunt, quia quid in his rebus faciunt, hoc faciunt ad Sacram Regiam Maiestatem Poloniae etc. usque ad tempus veris vel post festum Paschatis dolo et fraude detrahendam. Tunc enim plures milites ex Germania exspectant et, si hos accipiant, non unum bonum verbum Sacrae Regiae Maiestati dabunt.

Hoc quoque Vestra Celsitudo pro certo sciat, quod illorum multi milites sanguinis profluvio mortui sunt et adhuc moriuntur, et praesertim illi, qui trans mare venerunt. Disposuerunt quoque illos milites divisim, hic et illic, in villas, hic tres, ibi quatuor, alio loco 5, 8, 10, 20, 30 etc., et quasi canes in casis iacent. Et si aptum tempus est futurum, iam in hoc frigore esse credo. Est enim iam magna inopia apud illos. Ego, Deo volente, hinc non proficiscar, priusquam Vestram Celsitudinem certiorem de his rebus, quae in Comitiis apud illos aguntur, fecissem. Quia ego nullum favorem apud istos ventres et Bacchos habeo, et mihi magnas insidias et laqueos [ad] me capiendum posuerunt, me vero adhuc nondum perterrefecerunt.[e] Deus Omnipotens suam ulterius dabit gratiam.

Audivi quoque, Princeps et Domine Clementissime, quomodo Vestra Celsitudo in Lithuaniam versus proficisci voluit. Et si Vestra Celsitudo hoc [in] animum sibi induxit, tunc Dominus meus clementissimus, Palatinus Trocensis etc., mandavit me Vestrae Celsitudini Birsam cum omnibus proventibus et subditis concedere et tradere. Si iam Vestra Celsitudo hoc sibi persuaserit, diligenter Vestram Celsitudinem oro, ut Vestra Celsitudo hoc mihi significare velit, ut sciam, quid in hac re debeo facere, et Dominus meus clementissimus die atque nocte apud Vestram Celsitudinem cum paucis famulis esse poterit.

Sciat quoque Vestra Celsitudo, quod Regia Maiestas Poloniae etc. certe erit Vilnae die 21 Ianuarii. Vestrae etiam Celsitudini habeo gratias quas possum maximas, ut Domino meo Clementissimo, pro dono, quod mihi Vestra Celsitudo misit, quod ego profecto erga Vestram Celsitudinem

nondum sum meritus. Sed totis viribus dabo operam, ne sim immemor Vestrae Celsitudinis gratiae, et ego Vestrae Celsitudinis, ut Domini mei Clementissimi, semper studiosissimus ero, et quae mihi Vestra Celsitudo mandaverit, Deo volente, sine omni mora quam diligentissime semper curabo. Quod res ipsa suo tempore clarius indicabit et Deus det, ne diu sit expectandum. Datae Birsae, die 8 Ianuarii, anno 1557.

Vestrae Celsitudinis
minimus atque studiosissimus inservitor
Petrus Oborszky etc.

a) *sequitur expunctum:* Senatoribus
b) *in ms.* illus
c) *in ms.* quim
d) *in margine.*
e) *in ms.* perterfecerunt
z) *sic in ms.*

1) *Nicolaus Radziwiłł « Niger ».*
2) *Nicolaus Radziwiłł « Rufus ».*
3) *Lemsal.*
4) *Balthasar Bobrownicki.*
5) *Christianus III.*
6) *Gulielmus?*

*N. 1578.*

*Varsaviae, 14.I.1557.*

*Martinus Zborowski*
*Alberto in Prussia duci*
*pro nobili Alberto Zawadzki intercedit, ut locum desertum inter Vielbarg (Wielbarg) et Janów iacentem ei emere liceat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1579.*

*Varsaviae, 14.I.1557.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro nobili Alberto Zawadzki (litterae eiusdem formae ac tenoris, ut in N. praecedenti litterae Martini Zborowski).*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1580.*

*Varsaviae, 16.I.1557.*

*Ioannes Lutomirski, castellanus Ravensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Gulielmum Krzynecki [vel Skrzynecki, Křinecký, Skřinecký], baronem Bohemum, praefectum ducis Soldaviensem, « religionis ac pietatis christianae amantem », laudat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissime Princeps.

Postquam sermonibus insignium et magni nominis virorum ad aures meas perlata fama fuisset, Magnificum et vere Generosum virum, Do-

minum Vilhelmum Krzineczki, Baronem Regni Boemici, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Soldaviensem Praesidem, Varschoviae ab Illustri et Magnifico Domino Castellano Craccoviensi [1] fuisse humanissime exceptum, eumque ibi cum singulari laude gratitudinis eximia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in se (exulem et extorrem patrio solo) merita commemoravisse, non potui me continere, quin eum virum, uti facere consuevi, numero Illustrissimae Celsitudinis Vestrae familiae insertum, ad me vocarem cum eoque animum et dextram iungerem. Quem ubi penitius introspexissem religionisque ac pietatis christianae amantem et beneficiorum acceptorum egregium esse buccinatorem luculenter cognovissem, coepi hominem amare illiusque amiciciam cupidius ambire. Quanta enim in se, peregrinum et advenam, coniugem item et liberos suos, Illustrissimae Amplitudinis Vestrae merita extitissent, prolixe ostendit.

Pergat Illustrissima Celsitudo Vestra tales ac tantos viros a fortunae malignitate tueri: haud dubie uberes fructus suae liberalitatis relatura. Est honos huic virtuti lausque perennis manet hanc talem Illustrissimae Amplitudinis Vestrae in hunc eximium virum munificentiam. Haec admiratione excelsi animi Illustrissimae Celsitudinis Vestrae et amore virtutis nunquam ante hoc tempus noti Domini Krzineczki, scripsi... Datum Varschoviae, Ianuarii 16, anno Domini 1557.

Eiusdem Celsitudinis Vestrae Illustrissimae
servitor promptissimus
Ioannes Lywthomyrski, Castellanus Rawensis etc.
manu propria subscripsit.

1) *Ioannes Tarnowski.*

*N. 1581.*

*Vilnae, 4.II.1557.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus Samogitiae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Nicolao Songajłowicz, Samogita, ut ei familia profuga (i.e. subditi profugi), in Ducatu Prussiae apud capitaneum Ragnetensem et apud quendam nobilem, Ioannem Giecz, refugium nacta, restituatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Hic praesentium litterarum mearum lator, capitaneatus mei Samogitiae Sacrae Maiestatis Regiae subditus, Nobilis Nicolaus Songaylowicz, detulit coram de familia sua propria obnoxia, iam a biennio profuga, quae sese, maximo damno sibi per furtum illato, in Ducatum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae contulit, de qua ille iam certo rescivit, apud Capitaneum Celsitudinis Vestrae Ragenensem de quatuor hominibus et apud quendam nobilem, Celsitudinis Vestrae subditum, Ioannem Giecz, de duobus ancillis. Qui ambo, tam Capitaneus Ragenensis, quam praedictus nobilis, apud se manifeste detinent, nec eandem huic Regiae Maiestatis subdito reddere volunt, pro eius damno intollerabili. Totam enim suppellectilem eius domesticam furati sunt ac secum ad eos reportaverunt.

Quae quidem duae ancillae, quas praefatus Ioan Giecz obtinet, cum illas hic Sacrae Regiae Maiestatis subditus, qui apud eum in domo illius praestitit, palam et publice in praesentia multorum fide dignorum nobilium, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae subditorum, fassae sunt, quod eius nobilis, Maiestatis Regiae subditi, Nicolai Songailowicz, sunt propriae obnoxiae ancillae, pariterque recognoverunt ea omnia bona illius per se et patrem matremque illorum atque alios duos homines, quos Capitaneus Ragenensis apud se detinet, furto esse ablata. Quam illarum recognicionem, publicam et liberam, hic Nicolaus, praesentibus protunc nobilibus, Celsitudinis Vestrae subditis, solenniter protestatus est.

Itaque in ea ipsa causa meas ad Vestram Ilustrissimam Celsitudinem peciit litteras, humiliter supplicans, ut Vestra Illustrissima Celsitudo clementer, conspecto eius tam intollerabili damno, sibi ab hac famillia per furtum facto, mandare litteris suis dignaretur tam Domino Capitaneo Ragenensi, quam huic praefato Ioanni Giecz, ut absque ulla et longiori procrastinacione hanc eius familiam integre sibi restituendam curent, nec eam apud se amplius detineant,[a] praesertim cum ipsa familia libere fatetur eius nobilis se esse propriam ac praedicta damna sibi intulisse. Obnixe itaque Celsitudinem Vestram, Dominum mihi clementissimum, pro officio obsequentissimorum serviciorum meorum praecor, ut hoc pro sua clementi pietate atque benignitate christiana facere dignaretur, quatinus ex mandato Illustrissimae Celsitudinis Vestrae huic subdito Sacrae Regiae Maiestatis continuo sit restituta, ne in his damnis suis et hac familia sua propria ulterius iniuriam patiatur. Quod quidem Vestram Illustrissimam Celsitudinem clementer facturam, indubitate[b] confido. Datum Vilnae, 4 Februarii, MDLVII.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Hieronymus Chodkiewicz, Castellanus Trocensis
et Samogitiae Capitaneus Generalis etc.

a) *supra lineam.*
b) *in ms.* indutate

*N. 1582.*

*Wiewiórka, 13.II.1557.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci*
*Gulielmum Krzynecki* [*Křinecký*], *Bohemum, capitaneum Soldaviensem, laudibus extollit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quamvis cognitum habeam Illustrissimam Dominationem Vestram propensissimo semper animo fuisse in eos, quos licet quidem iniqua aliqua fortuna premat, virtus tamen et in rebus gerendis industria commendabiles facit, omittere tamen non potui, quin eum Illustrissimae Dominationis Vestrae affectum magis etiam hisce literis meis excitem in quendam virum Bohemum, genere sane non obscurum, sed iniquis quibusdam et non levibus fortunae casibus multum iactatum, Dominum

Gulielmum Krzineczky, qui Illustrissimae Dominationis Vestrae servitiis et patrocinio se addixit et, ut intellexi, Capitanei Jaldaviensis[z] munere, sibi ab Illustrissima Dominatione Vestra delato, nunc fungitur. Mihi enim, etsi non ita pridem noticiam cum ipso contraxi, ob egregias tamen animi dotes et pietatem simul tantopere iam commendatus est, ut sane ex animo illi optime cupiam. Ac propterea Illustrissimam etiam Dominationem Vestram magnopere rogatam velim, ut, quandoquidem is sub patrocinio Illustrissimae Dominationis Vestrae isthic agit, eum tanto magis gratia et benevolentia sua prosequi dignetur, quanto magis id ipsum probitas et illius ad obeunda negotia industria mereri videtur. Iis enim praeditus est dotibus, ut apud principes quosque viros, praesertim pietatis studiosos, facile magnam possit acquirere gratiam, et quidem, quantum intellexi, splendidis et honestis conditionibus a quibusdam per literas invitatus est. Cum tamen is satius sibi ducat sub Illustrissimae Dominationis Vestrae patrocinio agere, si itaque praeter ea, quibus se ipsum facile commendatum reddit, mea etiam intercessione aliquid illi apud Illustrissimam Dominationem Vestram accedere potest, rogo, Illustrissima Dominatio Vestra eo libentius in eum conferre dignetur, quanto magis mihi etiam eo ipso gratum factura est. Beneficii enim accepti et in me ipsum ab Illustrissima Dominatione Vestra collati loco a me reputabitur... Datae in Wiewiorka, XIII die Februarii, anno Domini MDLVII.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
[a] servitor
Ioannes Comes in Tarnow subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

## *N. 1583.*

*Kroże, 13.II.1557.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus in Kroże,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro muneribus sibi missis (tunna vini) gratias agit et scire cupit, quibus servitiis hanc ducis liberalitatem compensare queat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

## *N. 1584.*

*Vierzighuben, 16.II.1557.*

*Anna vidua Alexandri Kurzbach*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio matrimoniali filiae suae, quam dux iuveni Samueli de Hedeck [Heideck] elocare cuperet.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*(Annexum: Originales litterae Ioannis Kurzbach Witkowski, decani Gnesnensis, datae Cracoviae, 1.II.1557, de eadem re, cum schedula et sigillo. Adest etiam versio germanica).*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1585.*

*Posnaniae, 5.III.1557.*

*Lucas a Górka, palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Ioannem Chrostowski, homicidam proscriptum et infamia notatum, commendat.*

*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1586.*

*Posnaniae, 5.III.1557.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*intercedit pro Ioanne Chrostowski, qui casu quodam homicidium commisit, proscriptus et infamia notatus est.*

*Sigill.*

*Iam ed.: Wotschke, Stanislaus Ostrorog, suppl. VI.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1587.*

*Posnaniae, 6.III.1557.*

*Ianussius Kościelecki, palatinus Siradiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Ioannem Chrostowski, qui casu quodam potius, quam animo deliberato, indignationem regis in se concitavit, commendat, ut eum dux in numerum militum suorum accipere velit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ut fere plura in rebus humanis casu et fortuna, quam consilio aut deliberatione fiunt, Illustrissime Princeps, sic etiam et praesentium exhibitor, Nobilis Ioannes Chrostowski, magis fortunae iniquitate et casus iniuria, quam spontanea voluntate et animo deliberato, ad indignationem Sacram Maiestatem Regiam, Dominum meum clementissimum, concitavit, ob defensoris autem vel imperitiam vel fraudem decreto Suae Maiestatis a Regno iam aliquantisper abest, qui, quamvis nihil dubitaret et quod sibi bene conscius innocentiae sit, et ob patronorum authoritatem, qui eius purgandi negotium apud Sacram Maiestatem Regiam susceperunt, quod non ita pridem iterum gratiam Sacrae Maiestatis Regiae consecuturus sit, cum etiam iam ad expurgandum literae salvi conductus sibi a

Sacra Maiestate Regia date sint, tamen ut etiam exemplum aliquot[z] virtutis militaris prestaret et exhiberet, eoque ut approbationem sui ab aliis mereretur, antecessorum autem nomen rebus bene gestis augeret, ita etiam non immerito plus dignus et venia a Sacra Maiestate Regia censeretur, presertim ea occasione oblata, quod Magister Livoniae Ordinis Teutonici[1] sit Suae Maiestatis cum Illustrissima Celsitudine Vestra hostis communis, existimavit offitium se Suae Maiestati prestiturum, sibi autem non inutile, si tunc socius militum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae conscriptus esset.

Quod ut facilius consequeretur, supplicavit, ut literis meis eum Illustrissimae Celsitudini Vestrae commendarem. Cum autem consilium ipsius improbare non possem, ea etiam ratione sepe prius alios in gratiam Sacrae Maiestatis Regiae restitutos esse sciam, illi etiam id precarer, nec dubitem, quod votis suctessus corresponsuri sint, pretermittere non potui, quin misero et ea parte apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram subvenirem. Peto itaque, Illustrissima Celsitudo Vestra illum militibus suis adscribere dignaretur, atque quo plus merebitur, tanto illi maiorem gratiam exhibere, negotium etiam ipsius apud Sacram Maiestatem Regiam, cuius authoritas apud Maiestatem Suam maxima est, promovere dignetur. Factura Illustrissima Celsitudo Vestra exemplum christianae pietatis et testimonium suae erga me gratiae, quam etiam ego per omnes occasiones promereri omni offitiorum genere studebo... Datum Posnaniae, die sexta Martii, anno Domini MDLVII.

Eiusdem Ilustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus
Ianussius a Koszczielecz, Palatinus Syradiensis,
Maioris Poloniae Generalis etc. Capitaneus,
[a] manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*
1) *Henricus a Galen.*

*N. 1588.*

*Maciejowice, 12.III.1557.*

*Nicolaus Maciejowski*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut equitatus suus, quem in bellum contra magistrum Livoniae gerendum expedire tenetur, penes se retineatur usque ad felicem cum duce congressum.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.388.*

... Illustrissime Clementissimeque Princeps.[a)]

Quod Sua Sacra Regia Maiestas Dominusque meus, una cum Illustrissima Clementia Vestra, pro iniuria propria contra istum Magistrum Livoniae[1] bellum suscipere dignemini, ad quod Sua Sacra Regia Maiestas nos, famulos et subditos suos, dignatur vocare, et cum sciam, quod ex subiectione Vestrae Illustrissimae Clementiae ad omnem necessitatem

teneor ex possesione[z] sua[z] suppetias praestare, ad hoc existens paratus, pro isto Vestram Illustrissimam Clementiam Dominumque meum rogo, ut hoc possim habere ex gratia et permissione Vestrae Illustrissimae Clementiae, ut iste meus equitatus, quem ego teneor expedire, posset esse penes me usque ad foelicem congressum cum Illustrissima Clementia Vestra. Et ibi ego solus eundem exhibebo et tradam ad exercitum Vestrae Illustrissimae Clementiae. Pro quo Illustrissimam Clementiam Vestram Dominumque meum non verecundabor, siquidem nollem sine persona mea famulos et equos disrumpere. In quo rogo gratiosissimam et clementissimam rescriptionem doctrinamque a Illustrissima Clementia Vestra.

De granitiebus vero, pro quibus ego Vestram Illustrissimam Clementiam sepius rogavi, hae finem suum hucusque sortite[z] non sunt. Quod hic[b] famulus meus Vestrae Illustrissimae Clementiae suficienter enarraturus est. Qui rogo, ut coram Vestra Illustrissima Clementia gratiosam ac clementem audicionem habere posset... Datum ex Maczieiowicze, die XII Martii, anno Domini MDLVII.

[c] Vestre Serenissime Illustritatis
servitor ac subditus deditissimus
Nicolaus Maczyeoffski.[d]

a) *in ms.* Illustrissimae, *et in reliquis casibus* e *finale scriptum est*: ae, *v.g.* prorogarae, vocarae, istae *etc.*

b) *in ms.* his

c)-d) *manu propria.*

z) *sic in ms.*

1) *Henricus a Galen.*

*N. 1589.*

*Vilnae, 20.III.1557.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de expediendis certis negotiis ducis se eiusdem ducis litteris et relatione Erhardi a Kunheim edoctum esse significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1590.*

*Posnaniae, 31.III.1557.*

*Lucas a Górka, palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*puerum Martinum Nowowiejski, Martini filium, in Academiam Regiomontanam excolendi animi gratia a patre missum, commendat et rogat, ut ei dux etiam stipendium assignare velit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1591.*

*Posnaniae, 31.III.1557.*

*Lucas a Górka. palatinus Brestensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ut auctores caedis cuiusdam adolescentis [Sebastiani Wołyniec], qui opera perversorum iudicum et causidici iam carcere liberati sunt, serio puniantur, ne mors illa innocentis inulta remaneat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Magno miserrimi patris luctu et squalore adductus, Illustrissime Princeps, ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram litteras intercessorias dederam. Ad quas cum mihi ab Illustrissima Celsitudine Vestra, ut ab iustissimo Principe, benigne responsum esset, certam spem conceperam mortem innocentis adolescentis non inultam fore. Sed iterum maestissimus parens conqueri non desinit, autores caedis iam carcere liberatos, malignitate iudicum ad caucionem fideiussoriam emissos esse. Quod qua racione alia factum sit, non intelligo, nisi inscia Illustrissima Celsitudine Vestra et forsan gravioribus id temporis negociis occupata, in favorem partis reae a iudicibus concessum. Ego vero, quod optime de Illustrissima Celsitudine Vestra et integerrime senciam, facile adductus sum, ut iterum apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram pro misero servitore nostro intercederem. Quam ob rem summopere peto, ut Vestra Illustrissima Celsitudo, pro sua summa iusticia et aequitate, negocium hoc in integrum restitui et exactius examinari iubeat, ut eo pacto nomen Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, ab opinione sinistra liberum, iusticiae integritatisque famam, quam ubique obtinet, perpetuo tueatur et conservet, perversi vero iudicies et causidicus, qui non fidelem, ut audio, operam parti suae navavit, maiorem iusticiae quam favoris racionem habendam esse, authoritate Illustrissimae Celsitudinis Vestrae compulsi, addiscant. Ego tandem, quemadmodum me ante multa debere Illustrissimae Celsitudini Vestrae agnosco, sic ob id cumulatissime gracia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae et benignitate ornatum intelligam... Datum Poznaniae, ultima die Marcii, anno Domini MDL septimo.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor
Lucas Comes a Gorka, Palatinus Brestensis,
Capitaneus Buscensis, manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1592.*

*Vilnae, 31.III.1557.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, Samogitiae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*

*pro Ioanne Gradowski, a quodam cive Regiomontano non parva damna in roboribus in litore fluvii Jura relictis perpesso, ut ipsa damna ei resarciantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Significandum duxi Celsitudini Vestrae, quod ego, racionem habens erga me optimorum semper meritorum Generosi Domini Ioannis Gradowsky, Sacrae Regiae Maiestatis Dyrwianensis Tenutarii ac teloneorum Samogitiae Praefecti, dono illi dedi in Samogitia mille sexingenta[z] robora mea propria. Quae cum ille vendenda instituisset, et ultra confinia Samogitiae in Ducatum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae deduxit atque in litore fluvii Jura dicti per quendam civem Cawnensem, olim Albertum Schwarcz, cuius curae ea commiserat, deposuit, hoc proxime elapso autumno a quodam cive Regiomontano, subdito Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, in ipsis roboribus absque ulla causa legitima non mediocre damnum perpessus est. Quod ut illi ab ipso autore facti facilius resarciri possit, mea ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem in eo ipso negocio fretus est intercessione ac testificacione. Itaque cum hec ipsa res ita fideliter per me Vestrae Illustrissimae Celsitudini declaratur, cui fidem indubitatam Vestra Illustrissima Celsitudo adhibeat, obnixe Vestram Illustrissimam Celsitudinem, Dominum mihi clementissimum, precor, ut Vestra Illustrissima Celsitudo, pro hac mea demissa et humili intercessione atque fideli testimonio, litteris suis Domino Capitaneo Ragenensi mandare dignaretur, ut ille ex suo officio et mandato Celsitudinis Vestrae in hiis arboribus, quae in litore praefati fluvii in districtu Ragenensi deposita sunt, amplius a quoquam damnum inferre Domino Ioanni Gradowsky non permittat, atque navim illam, quae cum residuo roborum, quae ipse civis Regiomontanus accepit, vigore officii sui ex mandato Celsitudinis Vestrae interdicat, ne ab ullo hominum de hoc ipso loco litoris absque consensu Domini Ioannis Gradowsky submoveatur, ut hic,[a] qui hec ipsa robora accepit, facilius manifestari possit ac per Dominum Gradowsky ad iudicium officii Illustrissimae Celsitudinis Vestrae protrahi, ne in hoc damnum patiatur, praesertim cum hec ipsa robora a me sibi dono data obtineat. Quod Vestram Illustrissimam Celsitudinem clementer facturam confido... Datum Vilnae, ultima mensis Marcii, MDLVII.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Hieronymus Chodkiewicz, Castellanus Trocensis
et Samogitiae Capitaneus Generalis

a) *in ms.* his
z) *sic in ms.*

*N. 1593.*

*Vilnae, 31.III.1557.*

*Ioannes Gradowski, tenutarius Dyrwianensis et teloneorum praefectus, Alberto in Prussia duci*

*de cive Regiomontano conqueritur, a quo magna damna passus est in roboribus in litore fluvii Jura relictis, ut ei ea damna resarciantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

N. 1594.

Raków, 7.IV.1557.

*Stanislaus Ławski, palatinus Masoviae et regis ibidem vicesgerens,*
*Alberto in Prussia duci*
*Paulum Dzierżanowski, nobilem ex terra Plocensi, duci ad quaevis servitia commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

N. 1595.

Vilnae, 11.IV.1557.

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus Lithuaniae, capitaneus Mednicensis et Mohiloviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit litteras fidei pro Constantino Kuncewicz, homicidii accusato, ut in Poloniam redire et se de obiecto crimine purgare possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

N. 1596.

Ostroróg, 12.IV.1557.

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*per Eustathium Trepka, ad ducem revertentem, ducem salutat et optimam diuturnamque valetudinem ei precatur in laudem et gloriam Ecclesiae Dei.*

*Sigill.*

*Iam ed.: Wotschke, Stanislaus Ostrorog, suppl. VII.*

*H B A, B 2, K.388.*

N. 1597.

Vilnae, 13.IV.1557.

*Ioannes Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*explicat, quas ob causas ad ducem in persona nunc venire non possit, ad suos in Poloniam redire coactus.*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed. Kuyper, p. 751.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Statueram plane ipse venire ad Tuam Celsitudinem recta hinc, simul atque me a Maiestate absolvissem. Ac proinde nullas interea etiam lit-

teras ad Tuam Celsitudinem dedi, quod ipsemet litterarum vice esse volebam, ut meam veterem in Tuam Celsitudinem observantiam nunc potissimum illi approbarem, posteaquam in patriam divino iam beneficio redii, et consilium etiam ac patrocinium Tuae Celsitudinis in promovenda hic apud nostros iam causa religionis implorarem. Sed partim valetudine mea, nunquam alioqui iam satis firma, partim etiam scribendis quibusdam in usum regium longius hic, quam putabam, haerere coactus, nullo iam modo possum desiderio meo satisfacere visendi Celsitudinem Tuam. Cogor enim, quanta possum contentione, ad meos redire in Poloniam, qui mea causa non pauci sunt conventuri et meum ad se adventum ad locum et tempus constitutum expectaturi.

Quare Tuam Celsitudinem suppliciter oro, ne ulli meae negligentiae imputare id velit, quod ad ipsam non venerim, sed nostrarum potius rerum nunc rationibus condonare id meamque hanc necessariam plane excusationem in optimam partem, pro sua clementia, interpretari dignetur. Quid vero hic egerim et quam benigne a Maiestate Regia exceptus, auditus ac dimissus sim, id totum intelliget Tua Celsitudo et ex Magnifico Domino Palatino Marieburgensi,[1] vetere amico meo, et ex litteris Domini Magistri [2] Curiae Reginalis Maiestatis.[3] Pharisaei quidem nostri torvum me intuentur atque causam meam circa religionem miris suspitionibus ac calumniis gravare apud Maiestatem Regiam (quantum possunt) conantur. Sed Dominus nobis aderit per suam gratiam. Quin et Tuae quoque Celsitudinis nomen mei nominis invidiae obtendi audio, quemadmodum id Domino Marieburgensi Palatino exposui. Sed ego longe meliora mihi de Celsitudinis Tuae probitate, clementia ac candore polliceor, quae alioqui dudum mihi perspecta habeo, quam ut quorundam hic iactationibus fidem ullam, non dico ipsemet velim adhibere, verum ab aliis etiam habendam ullo modo esse putem. Qua de re Dominus Marieburgensis Palatinus plura. Quod porro ad me attinet, non committam, quin (compositis paulum modo in patria rebus meis) ad Tuam mox Celsitudinem veniam, si modo intelligam Tuam Celsitudinem bello hoc Livonico evocatam huc non iri... Raptim Wilnae, 13 Aprilis, 1557.

Tuae Celsitudinis Illustrissimae addictissimus
Ioannes a Lasco manu propria.

1) *Achatius Czema.*
2) *Gabriel Tarło.*
3) *Catharina.*

*N. 1598.*

*Caunae, 17.IV.1557.*

*Ioannes Kuncewicz, capitaneus Iasvonensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro filio suo Constantino intercessionem apud regem expetit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

## N. 1599.

*Stobnica, 8.V.1557.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut dux filio suo, diutius a se retento, ignoscat, quod tardius ad ducem (cuius servitor est) redeat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

## N. 1600.

*Vilnae, 16.V.1557.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Assuero Brandt, capitaneo Tapiensi,*
*responsum regis ad legationem ipsius transmittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

## N. 1601.

*Uniejów, 2.VI.1557.*

*Nicolaus Dzierzgowski, archiepiscopus Gnesnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*intercessionem ducis apud regem expetit pro Ioanne Chrostowski, ut ex exilio in Ducatu Prussiae in patriam redire possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime et Excelentissime Princeps, Domine Observantissime [z] *etc.*

Cum natura sic comparatum sit, Illustrissime et Excelentissime Princeps, ut genus humanum multis variisque casibus et adversae fortunae toto vitae suae tempore exponeretur, et nullum aliud, post Deum, hominibus refugium, adversa fortuna laborantibus, nisi Regum, Principum et Haeroum tutella illis relicta sit, eiusmodi homines ad Principes eos confugere, quorum patrocinio fortunae suae mederi possent, consueverunt. Qua virtute et vere Principe christiano digna clementia cum prae caeteris Illustrissima Excellentia Vestra excellat, ut omnibus ad se confugientibus haud egre opituletur, nobili cuidam Chrostowsky in aulam vel dominium Illustrissimae Excellentiae Vestrae, ex Regno ob calumniam adversariorum suorum proscripto, fugere ibique degere contigit. Hic itaque cum tam longi exilii pertesus sit, vias et rationes eas per amicos suos quaerit, quibus iterum in patriam restitui possit, ususque est nonnullorum iam Principum ad Sacram Maiestatem Regiam intercessionibus, inter quos et Illustrissima Excellentia Vestra suis Sacram Maiestatem Regiam pro eo interpellavit. Et quia prae caeteris intercessionem Illustrissimae Excellen-

tiae Vestrae apud Sacram Maiestatem Regiam sibi magis profuisse [a] cognovit, per amicos suos me sedulo petiit, ut apud Illustrissimam Excellentiam Vestram pro eo intercederem, quo Illustrissima Excellentia Vestra, pro immensa sua et vere Principe christiano digna clementia, intercessione apud Sacram Regiam Maiestatem sua illi iterum auxiliari dignaretur.

Quod cum amicis eius a me negari non potuit, maiorem in modum Illustrissimam Excellentiam Vestram, Principem christianum et singulari clementia praeditum, obsecro, cum ille, post Deum, in nemine spem suam nisi in Illustrissima Excellentia Vestra colocarit, ne eum spe ea frustrari patiatur... Datum ex castro meo Unieiowiensi, secunda die Iunii, anno Christi MDLVII.

Illustrissimae Excellentiae Vestrae amicus
[b] Nicolaus Comes a Dzyerzgoff, Archiepiscopus Gnesnensis et Regni Primas etc. subscripsit.[c]

a) *in ms.* profugisse
b)-c) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1602.*

*Lebieda, 10.VI.1557.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, Samogitiae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de controversis limitibus inusitata aratura temere non violandis.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Litterae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae sunt mihi datae die 9 mensis Iunii. Quibus ex relatione Capitanei Mimelensis mihi Vestra Illustrissima Celsitudo significare dignata est, quod subditi quidam Sacrae Regiae Maiestatis Samogitienses, districtus Poyurensis, in locis limitum controversis, supergressis antiquis limitibus, in Ducatum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae temere invadendo cum aratris, non parvum agri in locis insuetis spacium ipso aratro subegerunt. Et cum eius loci tenutarius ab ipso Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Mymelensi Capitaneo inquireretur, qua de causa factum sit, quo illius praefecturae subditi eiusmodi insolitam ultra limites invasionem fecerint, et cuius licentia hec ipsa aratura illis concederetur, ipsum ad ea nihil responsi dedisse, immo vero hoc ipsum factum se velle defendere, nec eosdem colonos ab incepta audatia coercere [a] sini desinere, dictis ipsi Domino Capitaneo Mymelensi se significasse. Quod quidem negotium Vestra Illustrissima Celsitudo meo spectare offitio ac iurisdictioni praetendens, eo Sacram Regiam Maiestatem obtundere non cupit, sed potius a me expostulat, ut ego, pro ratione officii mei, hoc ipsum factum subditis serio inhiberem, ne limites antiquos seu granicies aratura excedant.

Sciat igitur Illustrissima Celsitudo Vestra, quod quamvis ipse tenutarius Poyurensis ab ipsa Regia Maiestate in illo loco officii praesit,

tamen est subiectus iurisdictioni meae, et eidem hoc ipsum autoritate meae iurisdictionis generalis mandare possem, ut ille subditos praefecturae suae ab hac licentia arceat, nec illud ipsum factum ullo modo tueri vel defendere praesumat. Sed quia eiusmodi negotium non parvi valoris pendendum consydero, quod quidem ipsos veteres limites in suo robore conservandos spectet, cupiens in hoc (sicut et in aliis solitus sum) studiosius Vestrae Illustrissimae Celsitudini gratificari, quo ipsum negotium eo arctius ac severius inhibeatur, illud Sacrae Regiae Maiestati, Domino meo clementissimo, scriptis meis, pariter cum litteris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, deferendum putavi, certo mihi persuadens Sacram Regiam Maiestatem eiusmodi licentiam seu audatiam non impune ipsis subditis, vel eorum Praefecto, praetermissuram. Nam Sua Maiestas Regia limites seu granicies, omnibus in locis iusto ordine positos, in suo vigore pacifice manere severe iniungit. Quod et nunc litteris suis Sua Maiestas ipsi tenutario Poyurensi mandabit, ne in eiusmodi licentia ipsos subditos ulterius permanere sinat. Quod Vestra Illustrissima Celsitudo ab ipsa Maiestate Regia in brevi candide exploratura est. Quod vero officium meum attinebit, itidem, pro meo erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram studio, officiosissime exequi conabor... Datum ex bonis meis Liebieda, 10 die mensis Iunii, anno Domini MDLVII.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus servitor
Hieronymus Chodkiewycz, Castellanus Trocensis
et Samogitiae Capitaneus Generalis.

a) *sequitur expunctum*: se

*N. 1603.*

*Vilnae, 18.VI.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Nicolaum Płotowski, nuntium episcopi Varmiensis* [*Stanislai Hosii*], *Regiomontum se conferentem, ducem salutat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1604.*

*Vilnae, 26.VI.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de pecunia duci mittenda; de litteris a novo magistro Livoniae ad regem datis, missionem quinque legatorum annuntiantibus; de castellano Cracoviensi* [*Ioanne Tarnowski*].
*(Schedula autographa adiuncta)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nihil equidem apud me unquam antiquius aut melius fuit, quam id dare operam, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae officia mea omneque

obsequendi studium essent semper quam paratissima. Itaque inter alias adventus mei ad aulam causas haec quoque una fuit, ut iis erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram, pro officio diligentis nominique ipsius addicti servitoris, praestandis, si forte quapiam in re utilia esse Illustrissimae Celsitudini Vestrae possent, hic vacarem. Quod ultro etiam aliquoties Domino Kunheim hic detuli rogavique, si quid nomine Illustrissimae Celsitudinis Vestrae mihi imponere vellet oneris, ut omni dubitatione remota id faceret. Et postea ipse, quandiu hic ero, omnem officiorum praestandorum occasionem libens consectabor. Quod itaque ad negotium hoc pecuniarium adtinet, de quo ad me Illustrissima Celsitudo Vestra in literis suis perscripsit, ea semper fuit atque adhuc est Maiestatis eius voluntas, ut, quam primum possit fieri, pecunia Illustrissimae Celsitudini Vestrae submittatur. Dataeque nuper iam sunt eo nomine ad Simonem Lois Gedanum literae, quibus illi perscribitur, ut quam pecuniam ad Maiestatem Regiam certis nominibus hoc tempore mittere debuerat, in manus Magnifici Domini Castellani Gedanensis,[1] qui terrarum Prussiae est Thesaurarius, daret. Qui postea, simulatque ipsam recepisset, sine mora Illustrissimae Celsitudini Vestrae remitteret. Sed expectatur ea de re in dies a Maiestate Regia ipsius responsum.

Nudius quartus allatae sunt ex Livonia literae, quas novus hic Magister Ordinis,[2] qui seni nuper vita defuncto successit, ad Maiestatem Regiam scribit. Quibus quidem petit a Maiestate Regia, ut legatis eius, quos quinque ex Commendatoribus mittere decrevit, fide publica caveatur, quo tuto possint ad eius Maiestatem venire ac redire. Sunt autem literae perquam officiose scriptae, ut non ab hoste, sed plane ab eo, qui voluntatem Maiestatis eius magni faciat eique obsequi cupiat, missae videantur. Verumtamen Maiestas Sua statuit legatos eius non esse Vilnae expectandos, proficisciturque ad exercitum, quemadmodum antehac constituerat, certo statuens fore, ut rem omnem optimis conditionibus ex sua atque Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commoditate transigat. Id, quod ego quidem ut feliciter utrique eveniat, a Deo precor... Vilnae, XXVI Iunii, anno Domini MDLVII.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski, Regni Poloniae Cancellarius.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Kostka.*
2) *Gulielmus a Fürstenberg.*

*Schedula manu Ioannis Ocieski scripta:*

Dominus Castellanus Cracoviensis [1] propter gravem, quo decumbit, morbum nequaquam venire posse dicitur. Ubi vero in arbitrio Senatorum huius provincie situm esset, video eos ad pacem magis quam ad bellum spectare, pertesos scilicet multis damnis et incommodis, quibus anno preterito affectos se esse queruntur. Regia tamen Maiestas in ea perstat sentencia, ut nichil agat inconsulta Celsitudine Vestra Illustrissima. Ego omnem fidem et operam Illustrissime Celsitudini Vestre lubens offero.

Manu sua.

1) *Ioannes Tarnowski.*

## *N. 1605.*

*Vilnae, 2.VII.1557.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*quid in rebus sibi a duce commendatis ipse effecerit, ex litteris regiis ducem intellecturum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

## *N. 1606.*

*Vilnae, 16.VII.1557.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*se in negotio ducis pecuniario ob adversam valetudinem hactenus duci adesse non potuisse scribit, sed, recuperata valetudine, operam se suam praestiturum promittit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps et Domine, Domine Colendissime.

Quid in negocio pecuniario apud Sacram Regiam Maiestatem Illustrissima Celsitudo Vestra a me confestim cupiat, ex literis illius abunde intellexi. Ego, qui nihil unquam antiquius duxi, quam voluntati ac postulatis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae me in omnibus accommodare, tantum in hoc quoque negocio, quantum fieri potuit, hactenus libenter praestiti. Quo minus autem hoc tempore, posteaquam hae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae literae ad me allatae sunt, postulatis eius satisfacere potuerim, adversa me inde valetudo abstraxit, quod omnino aedibus meis me continere cogar. Ac quamvis non dubito esse et alios, qui eo nomine apud Sacram Regiam Maiestatem sollicitent, curavi tamen nihilominus, ut et meo nomine Sacra eius Regia Maiestas per quendam eius rei submoneretur. Idque diligentius agam ipsemet, quam primum consequi Maiestatem eius per valetudinem (quam, Deo dante, indies meliorem spero) licebit. Quod superest, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae gratiae me obsequiaque mea perpetua fide commendo eamque diutissime feliciter valere cupio. Datae Vilnae, die XVI Iulii, anno Domini MDLVII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1607.*

*Vilnae, 16.VII.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*pecuniam, quae, a Gedanensibus data, duci mittenda esset, in stipendia militi mercenario persolvenda destinatam esse nuntiat.*
*(Postscriptum autographum)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Binas eodem die ab Illustrissima Celsitudine Vestra accepi literas, alteras reddidit mihi cubicularius Maiestatis Regiae, alteras Dominus a Kunheim heri sub vesperum. Caeterum negotio huic, quod Illustrissima Celsitudo Vestra apud eius Maiestatem sollicitandum mihi iniunxit, etsi defuit tempus, in ipso enim procinctu de eo cum Maiestate Sua agendum erat, tamen ut plurimum etiam superesset temporis, nihilo magis Illustrissimae Celsitudini Vestrae opera mea prodesse posset. Quam primum enim Maiestas Sua de pecunia, a Gedanensibus data, a Magnifico Domino Palatino Marienburgensi [1] certior facta est, in ipso fere momento eius in stipendiarios milites erogandae provinciam certis hominibus demandare dignata est atque eos, qui a mercenario milite ad eius Maiestatem erant missi, cum certissima spe dimisit. Quare tametsi, quod mei erat officii, pro mea consuetudine ergaque Illustrissimam Celsitudinem Vestram perpetua observantia, nihil curae neque diligentiae in Maiestate Sua sollicite roganda praetermisi, eiusque rei locupletissimum testem Dominum a Kunheim habeo, eius tamen pecuniae spes nulla omnino relicta est propterea, quod eam aliis iam Maiestas eius addixit. Optimum itaque fuerit, si Illustrissima Celsitudo Vestra mutui nomine aliunde eam acquirat, in quo Magnifici Domini Palatini Marienburgensis opera plurimum ipsi adiumento esse poterit. Dubium vero non est Maiestatem eius, simul ac fuerit facta certior de mutuata per Illustrissimam Celsitudinem Vestram pecunia, non solum debitum omne in se recepturam esse pro eoque suficienti inscriptione eis, qui id Illustrissimae Celsitudini Vestrae credituri, cauturam, sed ipsam libenter etiam solvendo futuram... Datum Vilnae, XVI Iulii, anno Domini MDLVII.

[a] Nemo est, Illustrissime et Excellentissime Princeps, cui post Serenissimum Regem meum fidem, operam studiumque meum lubencius testatum facerem, facile quamvis omnia a Principe meo conceduntur, quecumque ex voto Celsitudinis Vestre esse intelligit, et non mea modo, sed nullius omnino promocione opus esse arbitror, sed Deum testor immortalem nullam aliam causam esse denegate ad presens centum millium florenorum pecuniae, quam ipsissimum eris defectum. Proinde rogo, animum meciatur regium benevolenciamque, qua mirifice in Celsitudinem Vestram propendet, neque estimet ablatum, sed reiectum in aliud tempus pocius. Quam primum autem creditores invenerit Celsitudo Vestra, non deerit vas neque vadimonium. Quod restat, Deum Optimum precor, ut probata sint mea Celsitudini Vestre servicia, quibus ut pro voto utatur mandetque, quod lubet, rogo.

Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski, Regni Poloniae Cancellarius.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Achatius Czema.*

*N. 1608.*

*Wilkija, 20.VII.1557.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus Samogitiae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de controversis limitibus per subditos praefecturae Pojurensis inusitata agri cultura et aratura non transgrediendis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Litere Illustrissimae Celsitudinis Vestrae reddite sunt mihi, quibus Illustrissima Celsitudo Vestra testificari dignatur se clementer a me suscepisse illud negotium tenutarii Poyurensis in causa supergressionis limitum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, per subditos Poyurenses factae, Sacrae Regiae Maiestati Poloniae, Domino meo clementissimo, per me iam pridem delatum atque descriptum esse. Quia vero in hoc ipso negocio nihil responsi a Sacra Maiestate Regia Vestrae Illustrissimae Celsitudini datum apparet, de quo [iterum] atque iterum me scriptis suis Vestra Illustrissima Celsitudo admonere dignata est, ut ipsi tenutario Poyurensi pro ratione officii mei inhiberem, ut subditos praefecturae suae ab eiusmodi licencia supergrediendorum antiquorum limitum et ipsa cultura agri insueti arceat, et loca limitum controversa, quae sub sequestro tenentur, inviolata intactave relinquat, hoc ego, pro mandato Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, Domini mihi clementissimi, et pro officio iurisdictionis meae generalis, qua in Ducatu Samogitiae fungor, libenter feci ac hunc ipsum Poyurensem tenutarium literis meis, quas ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem cum hiis pariter misi, admonitum reddidi atque ex officio meo mandavi, ut ab hoc instituto amplius abstineat et subditis tenutae suae serio iniungat, ne antiquos limites transgredi praesumant et ab aratura ac sementis penitus abstrudantur, de quo latius in literis meis patentibus ad eum scriptis declaratum est.

Cum vero ad Sacram Regiam Maiestatem, Domino Deo volente, hinc revertar, de hoc ipso negotio Suam Maiestatem studiosissime solicitari curabo, ut Maiestas Sua ex brachio suo regali tenutario huic Poyurensi severe mandare dignaretur, ne pacta et foedera inter Vestras Amplitudines facta adversari audeat ac exnunc ab hac incepta licentia abstineat. Quod autem nunc ex meo officio atque erga Vestram Illustrissimam Celsitudinem studio fieri potuit, hoc summo affectu atque cura factum Vestra Illustrissima Celsitudo scire dignetur... Ex Vilkye, 20 die mensis Iulii, 1557.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
obsequentissimus promptissimusque servitor
Hieronymus Chodkiewycz, Castellanus Trocensis
et Capitaneus Samogitiae Generalis.

*N. 1609.*

*Cracoviae, 25.VII.1557.*

*Ioannes Kurzbach Witkowski, decanus Gnesnensis et canonicus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*litteras ducis, mortem Annae, uxoris defuncti fratris sui Alexandri, sibi nuntiantes, se accepisse significat et pro clementia nepti suae parentibus orbatae exhibita gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1610.*

*Kurkle, 25.VII.1557.*

*Nicolaus Radziwiłł palatinus Vilnensis,*
*Assuero Brandt, capitaneo Tapiensi, ducis Alberti consiliario,*
*de adventu ducis Alberti ad regem contentus est, sine cuius praesentia negotium archiepiscopi Rigensis [Gulielmi marchionis Brandenburgensis] commode tractari cum Livonibus non possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Spectabilis et Magnifice Domine *etc.*

Quod Illustrissimus Dominus Dux Prussiae ad Maiestatem Regiam venire proposuit et iam adventat, equidem ex eo magnam capio voluptatem, siquidem presentia Suae Illustrissimae Celsitudinis ad eam rem, ad istos tractatus Livonicos, apprime est necessaria, ita quod per absentiam Suae Illustrissimae Celsitudinis non ita commode negotium Illustrissimi et Reverendissimi Domini Archiepiscopi Rigensis [1] tractari cum Livonibus possit, propter cuius nomen vel maxime Maiestas Regia hanc expeditionem fecit et hanc sumptuum molem adire non dubitavit. Alioquin propter caetera ne cogitasset quidem vel decimam partem eorum in id impendi. Caeterum magnam-ne vel parvam equitum aut peditum manum Illustrissimus Dominus Dux secum adducat, non quero. De adventacione et presentia Illustrissimae Suae Celsitudinis valde contentus sum, et Maiestas Regia contenta est. Quia sat per se intelligo Suam Illustrissimam Celsitudinem ita eo esse venturam, ut talem Principem venire aequum et conveniens est. ... Datum ex castris ex agro Kurklensi, 25 Iulii, anno Domini MDLVII.

Spectabilis et Magnificae Dominationis Vestrae
[a] bonus frater
Nicolaus Radzyvyl etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Gulielmus Brandenburgensis.*

## *N. 1611.*

*« Ex castris », 4.VIII.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius, Alberto in Prussia duci causae inter Fabianum Moller et Ditricum Grünweg (Grunwek) ad terrarum Prussiae consiliarios remissionem apud regem se impetraturum fuisse scribit, nisi causarum limitatio obstitisset.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

## *N. 1612.*

*Onikszty, 9.VIII.1557.*

*Ioannes Przerembski, nominatus Chelmensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci tardiorem ad litteras responsionem tractatuum cum Livonibus prorogatione explicat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod serius Illustritati Vestrae a Sacra Maiestate Regia ad litteras Illustritatis Vestrae respondetur, in causa fuit nostra de pace cum Oratoribus Livonicis tractacio. Cum autem post longos tractatus res ad bellum spectare videretur bellumque iam omnino decretum ac conclamatum esset atque ad accersendam Illustritatem Vestram literae conscriptae parataeque essent, contenderunt hodie magnis praecibus a Sacra Maiestate Regia Serenissimi Domini Romanorum Regis Oratores, ut adhuc paululum temporis concedere illis ad agendum de pace dignaretur, non defuturas honestas pacis condiciones, si id illis concederetur, asserentes. Itaque concessum id est eis in hodiernam tantummodo diem a Sacra Maiestate Regia. Quales autem eae futurae sunt condiciones, Illustritati Vestrae Maiestas Regia significare dignabitur. Ego hoc unum tantum peto, ut, si quid Illustritas Vestra tedii aut molestiae ex ea tam longiori mora contraxit, id non mihi, sed rei ac causae ipsius magnitudini et exigentiae imputare velit... Datum ex castris apud amnem Onixium, die IX Augusti, anno Domini MDLVII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Nominatus Chelmensis.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1613.

*Onikszty, 9.VIII.1557.*

*Nicolaus Tarło, signifer Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*per Bernardum Pohibel ad ducem redeuntem mittit orationem oratorum Livoniensium; antea misisse se scribit actum iudicialem inter viduam et filiam ducis Heliae Constantinidis Ostrogski et Demetrium Sanguszko.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Illustrissime Princeps.

Cum primum mihi factus esset obviam Nobilis Dominus Pohibel, Illustrissime Celsitudinis Vestre ad Regiam Maiestatem Poloniae, Dominum meum clementissimum, Nuntius, cum quo ut mihi ab aliquot annis apud Dominum et patruum meum,[1] fidum et bonum servitorem Illustrissime Celsitudinis Vestre et Magistrum Curie Reginalis Maiestatis,[a] noticia et benevolentia intercesserat, ab eodemque de bona valetudine Illustrissime Celsitudinis Vestre essem factus cercior, gratulabar pro mea debita ac solita in Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantia et integra animi mei ad servitia eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre promptitudine. Cum vero se primo quoque tempore redditurum ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram[b] profiteretur, ab eo pecii, ut mea humillima servicia et indefessa Illustrissime Celsitudini Vestre cum hisce litteris comendaret. Et cum, quibusdam amicis in gratiam, orationem Oratorum Livoniae verbum verbo reddendo descripsissem, id quoque fore gratum Illustrissime Celsitudini Vestre idem Dominus Pohibel narraret, si quoque mitterem, eius persuasu fretus, Illustrissime Celsitudini Vestre mittendam putavi, etsi reliqua nova, si que sunt, ab eodem locupletius cognoscere poterit. At si et id gratum fore Illustrissime Celsitudini Vestre compertum habuero, sedulo et perlubens eum subibo laborem. Nihil etenim mihi contingere possit antiquius, quam ut quacunque in re possim Illustrissime Celsitudini Vestre bonam meam voluntatem ad servitia eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre testificari ac eidem gratificari.

Scripseram etiam Illustrissime Celsitudini Vestre actum quendam iudicialem inter Ducis Helie Constantinovicz relictam coniugem et raptam ac viciatam eius filiam, et inter Demetrium Sandzuskowicz, Ducem citatum. Quae causa temporibus felicis regiminis Serenissimi Principis nostri ulla unquam maiori cum dignitate et hominum expectacione fuit agitata, nescio, an a Bernardo Bithner, cive Kownensi, Illustrissime Celsitudini Vestre data fuit. Sperabam etenim novitate et magnitudine rei non ingratum fore eum laborem Celsitudini Vestre. Nunc aliud non restat, quam ut Illustrissima Celsitudo Vestra me, tanquam unum ex mancipiis et fidis servitoribus suis, benignitate sua et gratia complectatur, id magnopere a Illustrissima Celsitudine Vestra petendum duxi. Nos hic cum toto exercitu plane tediosam et insuavem vitam degimus, quod eousque procrastinatur occasio in tam temerarium et superbum hostem bene gerendi. Nam he copie si integre in hostem ducerentur, recenti adhuc ac vivido exercitu, divino iuvante auxilio, longe maiori hosti possent opponi. De Illustrissime Celsitudinis Vestre copiis optima fama et celeberima

passim circumfertur et adventus Illustrissime Celsitudinis Vestre cum tam selectissimo milite et gratulationem et magnum aplausum toti exercitui adferret. Data ex castris post Onixti, 9 Augusti, anno 1557.

[c] Eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre
humillimus ac deditissimus servitor
Nicolaus Tarlo de Sczekarzovice et in Lyaszky,
Signifer etc. Premisliensis, Aulicus regius.[d]

a) *sequuntur verba expuncta*: iam ab aliquot annis
b) *sequitur aliquod verbum expunctum.*
c)-d) *manu propria.*
1) *Gabriel Tarło.*

*N. 1614.*

*Pozwol, 31.VIII.1557.*

*Nicolaus Tarło, signifer Premisliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de duce Megapolensi et quinque commendatoribus in oppidum Pozwol ad tractandas conditiones pacis adventuris; de rege ad oppidum Sałaty castra moturo; de pace et bello nihil certi.*
*(Cum schedula adiuncta)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Pro mea fide et clientela, qua me Illustrissime Celsitudini Vestre semel addixi, atque ita obfirmavi animum meum, ut, quoad vixero, nunquam ab ea discedam, neque nunc pretermittendum putavi, quin Illustrissime Celsitudini Vestrae, abeunte Domino Pohibel, pro eo debito offitii mei non scriberem, etsi profecto sunt res eiusmodi et tales transactiones indies obrepunt, ut non modo aliquid certi policeantur, sed etiam plane tedium et fastidium pariunt. Si enim pax futura erat, quorsum tanti apparatus, tot impense, tanta propriorum dominiorum depredatio, ut paulo minus agravate sunt provincie et spoliati miseri coloni, fundi attenuati a socialibus copiis, vel magis ab ipsis Lithuanicis exercitibus, ut preter id, quod non sunt pagi exusti, homines abacti, reliquum nihil sit. Si bellum futurum erat, quorsum hec procrastinatio, ut iam tota aestate nihil confectum sit, et istis plane frivolis transactionibus tempus belli totum amissum est. Itaque nihil certi Illustrissime Celsitudini [Vestrae] adfferri potest.

Hodie Illustrem Ducem Melkerburgensem[1] et quinque Comendatores cum provinciae Marschalco,[2] noviter creato, ad continuandas conditiones pacis affuturos predicant, et iam eis sunt in oppido proximo a castris, dicto Posvole, procurata diversoria. Ferunt etiam in secretis iam ad omnes tractatus Livones consensisse preter id, quod nondum sit controversia composita de 60000 talerorum, quos detractant numerare. Attamen cum ea plenipotencia veniunt, et si aliter fieri non possit, et id concedant.

Hodie item circumferri ceptum est Regiam Maiestatem proximo die Veneris moturam castra ad oppidum Salati, cum iam certo a die crastina in octo diebus iter versus Vilnam Regia Maiestas per Kowno factura

erat, et his de causis nihil certi nec de pace nec de bello statui potest. Inter cetera Stanislaus Dachowsky, aulicus regius, post datum responsum Regie Maiestatis Oratoribus Regis Romanorum, quod ad belli rationem spectabat, existimans ita fore cum 26 equitibus nocte intempesta, fallendo vigiles et custodias Lithuanicas, ad 5 miliaria in Livoniam irrupit et citra 400 boves, equos predam abegit. Deinde integer evadens a Tartaris, qui sibi ob neglientius[z] adservatam custodiam metuebant, eius predae magna parte exutus, tandem rediit. Regia Maiestas id inique tulit, et nisi plerique proceres deprecati fuissent, animadversum fuisset in eum.

Nova ex Podolia: Demetrium Visznievieczki municione ista, Chortica appellata, vacua decessisse, quam hostis magnis copiis admotis, Turce enim et Tartari iustum exercitum cum tormentis bellicis eo premiserant, ubi vacuam a propugnatoribus reperit, dirutam et exustam proiecit et reliquit. Ille vero tormenta bellica et omnem apparatum, quem eo contulerat, partim in aquis submersit, partim secum abduxit et alteram munitionem, 10 miliaribus propiorem ab arcibus Regni vel Ducatus Lithuaniae, munire agreditur. Reliquum nihil est, Illustrissime Princeps, quam quod permagna erat expectatio totius exercitus adventus Illustrissime Celsitudinis Vestre. Plerique enim vel eo proposito solo huc venerant, ut viderent castra Germanica et exercitum Illustrissime Celsitudinis Vestre lectissimum et eum Principem in castris, cui tota Europa deffert gloriam armorum, et profecto magnum ex eo dolorem concipiunt, quod illis hec non contigerit spectari... Datum in castris ad vicum Poswole, XXXI Augusti, 1557.

[a] Eiusdem Illustrissime Celsitudinis Vestre
addictissimus servitor
Nicolaus Tarlo in Laszki, Signifer Premisliensis,
Aulicus Sacre Regie Maiestatis.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Albertus.*
2) *Christophorus von dem Neuenhofe, appellatus von der Ley.*
z) *sic in ms.*

*Schedula adiuncta:*

Post scriptas hasce litteras oblatae sunt mihi litterae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, ex quibus permagnam coepi leticiam. Permagnum enim est devenire ad noticiam tanto tam pio et excellenti Principi christiano, qui optimo iure tocius Germanie tanquam verus pater patrie compellari potest. Dabo operam, Illustrissime Princeps, et, quoad fieri poterit, summo studio enitar, ut Illustrissima Celsitudo Vestra desiderii sui abunde sit compos. Id, quod mihi iniunxit, optima fide et diligentia exequi studebo, ut imperatorum et omnium prefectorum militum nomina et numerum et genus, quo quisque utatur, armorum et metacionem castrorum, numerum exercituum, curruum, tentoriorum, denique instructionem acierum, quo quisque loco et que legio vel cohors, quantis copiis extabat, Illustrissime Celsitudini Vestre describam. Nihil enim mihi iucundius gratiusve contingere possit, quam ut, quacunque in re possim, Illustrissime Celsitudini Vestre gratificarer. Sed quia discessus Domini Pohibel erat celerior, quam ut tam cito hec expediri possint, expectabit paululum Illustrissima Celsitudo Vestra, dum hec bona fide et diligentia descripta eiusdem Celsitudini mittam. Nunc vero, dum ad tabernaculum nostrum redeam, Regia Maiestas hodie a summo mane usque prope in meridiem consilium privatum cum Senatu solo Lithuanico peregit. Notare quidem perdificile est, quid tractatum sit. At vultus eorum erant non mediocriter turbati, cum prodirent. Ab eorum Secretariis percepi

res iam prope confectas, iterum negotio Oratorum Regis Romanorum ad quasdam tergiversationes spectare, imo eo tandem res devenisse, ut cum discessum hinc intra octo dies policerentur, iam ad 20 protractum fore certo persuadent, profecto non sine gravi iactura istius provinciae, et paulo post tocius exercitus. Articulos condicionum laborabo, et descriptas nanciscor, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae mittam.

*N. 1615.*

*Ławy, 3.IX.1557.*

*Stanislaus Ławski, palatinus Masoviae,*
*Alberto in Prussia duci*
*se diligenter curaturum scribit, ut mutuae pactiones et foedera inter incolas Ducatuum Prussiae et Masoviae minime infringantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod ex literis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae eam intellexerim bona ac foelici valetudine praeditam esse, id meae speciali calculo albo adscripsi voluptati.

Negotium coemendorum frumentorum et annonae, quod subditis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae deberet denegari, mihi procul dubio hucusque ignotum extitit. Quandoquidem eam cum pactionibus mutuis, tum vero contiguitate ipsa vicinii, rem compenssandam vicissitudine officiorum sentiam meoque officio ex auctoritate Sacrae Maiestatis Regiae, nostri clementissimi Domini, subiacere, id negotii munus principio Capitaneorum cuiusque loci mandandum duxi, prout iam demandavi, de cetero et civitatum ac oppidorum incollis praecipiendum statui, ne eiusmodi pacta, sanctiones ac diuturnae optimae vicissitudinariaeque conditiones per ipsorum ignorantiam et importunitatem aliqua in parte infringi videantur... Ex Ławi, tertia mensis Septembris, anno Domini MDLVII.

Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
addictissimus servitor et subditus
Stanislaus Lawski, Pallatinus et Sacre Regie Maiestatis
Vicesgerens in Mazovia subscripsit.

*N. 1616.*

*Pozwol, 13.IX.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*nomine regis suadet, ut dux ipse pecuniam sibi mutuo comparet, regem autem omne debitum a duce contractum libenter in se suscepturum nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Quandoquidem Legati Illustrissimae Celsitudinis Vestrae brevi hinc discessuri sunt, ex eis de mea erga se perpetua observantia rerumque

illius nomine gerendarum cura atque studio uberius Illustrissimam Celsitudinem Vestram cognituram non dubito. Nunc hoc saltem praetermittendum non existimavi, me qua maiore possum diligentia dare operam, ut in dissolvendis stipendiis militum, quos in hanc belli Livonici necessitatem suo sumptu aluit, Illustrissima Celsitudo Vestra voti compos reddatur. A quo quidem Maiestas eius aliena non est. Caeterum quia hoc tempore non mediocriter ipsa quoque laborat re pecuniaria, consultissimum fuerit, id quod antea ab eius Maiestate Illustrissimae Celsitudini Vestrae perscriptum fuit, ut ipsa Illustrissima Celsitudo Vestra illam alicunde istic mutuo accipiat, quod multo facilius, quam eius Maiestas, Illustrissima Celsitudo Vestra perfecerit, cum iis in locis sit, ubi non aegre conquiri solet pecunia. Maiestas autem Regia, sicut antea promisit, debitum omne in se recipiet iustamque cautionem tam pro censu interesse, quam sorte, libenti animo factura est.

Porro de his, quae hoc tempore aguntur, existimavi per litteras ita commode nunciari non posse, quemadmodum Illustrissima Celsitudo Vestra poterit cognoscere[a] ex sermone Generosi Domini Ioannis Plemenczki, qui omnium spectator fuit novitque ea, quae vidit, prudenti oratione explicare. Is itaque Illustrissimae Celsitudini Vestrae de omnibus referet... Ex castris apud Poswolie, XIII Septembris, anno Domini MDLVII.

[b] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski.[c]

a) *in ms.* cognosceret
b)-c) *manu propria.*

*N. 1617.*

*Płock, 15.IX.1557.*

*Iacobus Bieliński, episcopus Lacedaemoniensis, suffraganeus Plocensis, Alberto in Prussia duci*
*pro fratribus suis, subditis ducis, intercedit, qui in bonis suis hereditariis ratione limitum controversorum a vicinis et affinibus suis, nomine Ruszkowski, iniuriis et damnis affecti sunt, et petit, ut auctoritate ducis accedente limites inter villas Ruszkowo et Sławkowo clare determinentur ac definiantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1618.*

*Vilnae, 5.X.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*iterum de negotio ducis pecuniario; de reconciliatione inter archiepiscopum Rigensem [Gulielmum marchionem Brandenburgensem] et magistrum Ordinis [Gulielmum a Fürstenberg].*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Negotium hoc pecuniarium, de quo aliquoties mihi mandare dignata est Illustrissima Celsitudo Vestra, pro consuetudine mea atque in Illu-

strissimam Celsitudinem Vestram perpetua observantia et curavi iam aliquoties summa diligentia et curo adhuc. Verumtamen sentio me nullo modo proficere, propterea quod ipsa Maiestas Regia, omni fere nunc pecunia exhausta, nihil eiusmodi potest praestare. Itaque, quod antea et ipsa eius Maiestas dare consilium dignata est, et ego pluries apud ipsam repetii, commodissimum fuerit, si uspiam isthic nomina faciat Illustrissima Celsitudo Vestra. Dubium non est Maiestatem eius, quod semel verbo pollicita est, re ipsa etiam atque iis conditionibus, quas antehac perscripsit, praestaturam esse.

Quod vero Illustrissima Celsitudo Vestra scribit, darem operam apud illius Maiestatem, ut Reverendissimo Domino Archiepiscopo adiungatur quispiam, qui ei in restitutionis negotio adsit, priusquam id a Maiestate Sua Illustrissima Celsitudo Vestra flagitavit, iam facta fuerat animorum reconciliatio inter Magnificum Magistrum et ipsum Reverendissimum Dominum Archiepiscopum. Quod quidem fuit die XVII Septembris, rem administrante ipso Serenissimo Rege. Cuius Maiestas autoritate sua perfecerat, ut Magnificus Magister prior Reverendissimum Dominum Archiepiscopum deprecaretur. Cumque eius rei gratia ad eum pergeret, Reverendissimus Dominus Archiepiscopus a sella quidem surrexit, sed tamen perstitit immotus, neque suo loco vel latum unguem excessit, donec Magnificus Magister ad eum perveniret. Iunctis demum dextris, collati fuerunt utrinque sermones, honesti illi quidem, ut inter homines ea dignitate. Caeterum Reverendissimus Dominus Archiepiscopus, pro animi magnitudine, mascule ad omnia respondebat, cuius quidem Paternitati Reverendissimae Magnificus Magister omnem in posterum observantiam pollicebatur verbis magnificis. Et quantum ego sermonem eius Germanicum capere poteram, haec subinde aedebat verba: Bey leib und gutt, ich will es alles thuen, was Euch lieb ist, quae proxime astans lateri Maiestatis Regiae exaudire poteram. Ut autem fines Livonicos Magnificus Magister attigit, dicitur magna fuisse expectatione atque desyderio Reverendissimum Dominum Archiepiscopum hospicio excipiendum omnemque illi humanitatem atque benevolentiam praestandam. Sed is diversum iter Rigam versus tenebat...

Vilnae, 5 die mensis Octobris, anno Domini MDLVII.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1619.*

*Vilnae, 15.X.1557.*

*Ioannes Przerembski, nominatus Chelmensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*

*nullam gratiarum actionem se exspectasse scribit pro officiis archiepiscopo Rigensi, ducis fratri* [*Gulielmo*], *exhibitis; in negotio finium inter Lithuaniam et Ducatum Prussiae nihil se apud regem efficere posse.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Reddite sunt mihi ab Illustrissima Celsitudine Vestra litterae, quibus mihi gratias agit pro officiis, quae de Reverendissimi et Illustrissimi

Domini Archiepiscopi Rigensis, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae fratris, rebus et iam statim ab initio illius casus, et nuper restitutione ipsius componenda, suscepta a me sunt. In quo etsi nullam ab Illustrissima Celsitudine Vestra gratiarum actionem expectabam, atque etiam nolebam agi mihi de eo gratias, quod et pro Serenissimi Principis mei honore et pro Reverendissimae et Illustrissimae Paternitatis eius, atque adeo totius domus illius, dignitate ita lubens suscepi, ut, si quid etiam maius potuisset a me praestari, in eo omne et studium et opera mea constitisset, tamen illud scilicet iucundum mihi fuit, quod ex iis litteris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae erga me gratiam cognovi. In qua ego mihi omnium officiorum meorum, quae in Illustrissimam Celsitudinem Vestram domumque illius quam maxima constare cupio, fructum colloco atque dabo operam, ut nullus a me eius demerendae locus praetermissus videatur. Illius autem Reverendissimae et Illustrissimae Paternitati opto atque praecor, ut, quod actum a nobis de eius causa est, sempiternae illi voluptati atque honori eveniat.

Quod vero Illustrissima Celsitudo Vestra ad me scripsit, ut me interponerem apud Sacram Regiam Maiestatem de negocio finium inter Magnum Ducatum Lituaniae atque Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ditiones, sane quemadmodum in omni officio, ita in eo quoque probare illi studium meum cuperem. Porro si minus Illustrissimae Celsitudini Vestrae in iis rebus, quae ad Magnum hunc Ducatum pertinent, satisfacere possum, existimabit summam quidem meam voluntatem in omnem suorum officiorum partem esse. Caeterum cum eae res aliaenae[z] a muneris mei curatione sint, non posse me sibi tantum, quantum vellem, in eis inservire. In aliis quidem, quantumcumque potero, nihil neque studii neque diligentiae Illustrissimam Celsitudinem Vestram in me desiderare patiar... Vilnae, XV Octobris, anno Domini MDLVII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Nominatus Chelmensis.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

*N. 1620.*

*Vilnae, 16.X.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de studio suo et de regis erga ducem propensa voluntate in negotio constituendorum limitum inter Ducatum Prussiae et Magnum Ducatum Lithuaniae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1621.*

*Tomice, 3.XI.1557.*

*Ioannes Tomicki, castellanus Rogoznensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro duobus falconibus (qui salvi sibi redditi erant) gratias agit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1622.*

*Kroże, 3.XI.1557.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus in Kroże,*
*Alberto in Prussia duci*
*« excellentissimis ac egregiis viris, doctoribus » ducis, liberum transitum per ditiones suas et omnem opem se praestitisse nuntiat.*

*Vest. sigilli. Autogr.*

*H B A, B 2, K.388.*

*N. 1623.*

*Piękoszewo, 3.XI.1557.*

*Martinus Zborowski, palatinus Calissiensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de imperatore Turcarum, podagra et morbo cordis laborante, firmam et stabilem pacem proponente; de proposito suo filium ex aula ducis in aulam regis Galliae mittendi, ut artem bellicam discat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nolui committere, quin salutem Illustritatis Vestrae, mihi iucundissimam, litteris meis visere omiterem[z] illique studia atque officia mea, quae iam pridem arcta quadam necessitudine Illustritas Vestra sibi dicata habet, offerrem atque declararem.

Novarum rerum nihil aliud est, quod Illustritati Vestrae scribendum putarem, nisi quod in Russie partibus, unde non ita pridem adveni, pax atque tranquillitas Dei beneficio viget. Nuncius[1] etiam Suae Sacrae Regiae Maiestatis a Caesare Turcarum reversus est, per quem pacem firmam atque stabilem favoresque maximos denunciat, cum pacis atque tanti favoris non aliam causam esse certissimum est, nisi eam, quod morbo podagrico atque cordiaco laborat.

Quod superest, Illustritatem Vestram, Dominum meum Gratiosum, peto, ut filium meum, curialem suum, a se ex curia sua gratiose expedire atque dimittere dignetur. Constitui enim eundem ad Regem Franciae inde expedire, ubi bellorum frequens usus est, ut ille his etiam exercitatus ad quevis obsequia Illustritatis Vestrae magis idoneus esse possit. Quem ut Illustritas Vestra litteris suis Sacrae Regiae Maiestati, Regi Franciae,[2] commendet, summopere oro, qui una mecum ut Illustritati Vestrae inserviat, id velim semper... Datum in Pienkoszewo, feria quarta post festum Omnium Sanctorum proxima, anno Domini MDLVII.

Marczin Sborowski, Voievoda Caliski,
Stobniczki, Odalanowski etc. Starosta.

z) *sic in ms.*
1) *Erasmus Otwinowski?*
2) *Henricus II.*

## *N. 1624.*

*Varsaviae, 18.XI.1557.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*causam puerorum Gołyński (vel Goliński) commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

## *N. 1625.*

*Vilnae, 29.XI.1557.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux in negotiis suis ad eum privatim scribat; sententiam ducis de terminanda proscriptionis causa arbitrio regis Romanorum non probat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Cuperem, ut, si quod negocium posthac incideret, quod mihi Illustrissimae Vestrae Celsitudinis nomine apud Regiam Maiestatem procurandum esset, id ad me privatim epistola sua perscriberet. Neque enim semper praesens adsum, cum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis literae eius Maiestati aut redduntur aut leguntur. Quo fit, ut perinde scire non possim, in quo mihi sit elaborandum, atque si peculiariter literis eius fierem certior. Etsi autem ipse literas Illustrissimae Vestrae Celsitudinis ad Maiestatem Regiam missas non legi, tamen sententia utique intellecta, cum eam forte me praesente Suae Maiestati Reverendissimus Dominus Episcopus Chelmensis, Regni Procancellarius,[1] referret, non commisi, quin meae erga illam fidei atque observantiae, quanquam eius Maiestas sua sponte ad omnia prompta atque parata est, cumulate satisfacerem. Proinde quaecumque Illustrissimae Vestrae Celsitudinis desiderii sunt, ea Legato, quem nunc Serenissimus Rex meus ad Regiam Maiestatem Romanorum mittit, committentur, ut ea simul cum reliquis mandatis diligenter peragat ac exequatur.

Verum id, quod de terminanda bandi seu proscriptionis causa arbitrio Serenissimi Romanorum Regis scripsit, ne amplius necesse sit ab Ordinibus Imperii prolationes ac prorogationes eiusdem magna cum difficultate petere, mihi sane non probatur. Nam et recens in hac Livonica transactione (libere id scribo et ad eum, cui me meaque omnia concedenda esse mihi semper persuasi) intercedentibus Legatis eius Maiestatis, quanquam id non tam ipsi Regi, quam illis iisdem adscribendum puto, sic omnia tractata, sic agitata sunt, ut alias maiore cum dignitate Serenissimi Regis nostri et Illustrissimae Vestrae Celsitudinis ac Reverendissimi Archiepiscopi[2] commodo peragi potuissent... Vilnae, III° Calendas Decembris, anno Domini MDLVII.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski manu sua.[b]

a)-b) *manu propria; manu secretarii scripta erant verba, deinde expuncta*: Ioannes de Oczieschino, Regni Poloniae Cancellarius.

1) *Ioannes Przerembski.*
2) *Gulielmus Brandenburgensis.*

N. 1626.

Vilnae, 2.XII.1557.

*Ioannes Przerembski, nominatus Chelmensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*litteras regis (in negotio ducis) ad regem Romanorum scriptas mittit omneque studium in eo negotio promovendo promittit.*

*Sigill.*

*(Annexum deest.)*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Causam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, quam me curare per litteras iussit, apud Sacram Regiam Maiestatem, pro meo in Illustrissimam Celsitudinem Vestram studio et observantia, egi diligenter. Itaque litteras Sacrae Regiae Maiestatis ad Serenissimum Dominum Romanorum Regem Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitto, curaeque mihi erit, ut, cum Sacra illius Maiestas Oratorem suum eo ablegabit, quod propediem futurum spero, ut de omni Illustrissimae Celsitudinis Vestrae negotio quam maxime ampla ei mandata det. Opto autem Illustrissimae Celsitudini Vestrae atque precor, ut ea res quam foelicissime illi atque ex sententia eveniat, tum ut quam expeditissime illi omnes iuris sui obtinendi rationes sint. In quo quicquid per Sacram Regiam Maiestatem agi volet, atque apud eam per me, dabo operam, ut, sicut caeteris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in rebus, ita in eo quoque omne studium officiumque in eam meum constet... Datum Vilnae, die secunda mensis Decembris, anno Domini MDLVII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Nominatus Chelmensis.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1627.

Vilnae, 2.XII.1557.

*Stiborius Krzykowski, cancellariae praefectus, Alberto in Prussia duci*
*mittit exemplum litterarum regis Poloniae ad regem Romanorum in causa ducis de hereditate Alberti iunioris marchionis Brandenburgensis demortui.*

*Sigill.*

*(Annexum: exemplum litterarum regis Poloniae ad Ferdinandum I regem Romanorum, de die 2.XII.1557)*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Opere precium facturum me esse existimavi, Illustrissime Princeps, si exemplum harum literarum, quae nomine Sacrae huius Maistatis

Regiae in Illustrissimae Celsitudinis Vestrae negocio ad Serenissimum Dominum Romanorum Regem apud Reverendissimum Dominum meum [1] scriptae sunt, Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitterem, ut ex eo Illustrissima Celsitudo Vestra perspiciat, quam diligenter et honorifice Sacra Regia Maiestas negocium hoc Illustritatis Vestrae Serenissimo Domino Romanorum Regi commendet, sitque etiam per Nuntium suum commendatura. Quod ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae foeliciter et ex animi sentencia cedat, cupio ac votis omnibus exopto... Datum Vilnae, die II mensis Decembris, anno Domini MDLVII.

[a] Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilimus servitor
Stiborius Krzikowski, Cancellariae Praefectus.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Przerembski.*

*Annexum: Sigismundus Augustus rex Poloniae ad Ferdinandum I regem Romanorum, de die 2.XII.1557:*

Exemplum litterarum ad Serenissimum Dominum Romanorum Regem.

Serenissime ac Excellentissime Princeps etc.

Habiturus negocium est Dominus Albertus Senior, Marchio Brandeburgensis ac in Prussia Dux, cum Illustri Domino Georgio Friderico Marchione Brandeburgensi, suo ex fratre nepote, de haereditate Illustris olim Domini Alberti Marchionis Brandeburgensis, sui ex altero fratre nepotis, atque de rebus ad eandem haereditatem pertinentibus. Quam quidem Illustritas eius et naturalis successionis iure et nonnullis cum communibus Brandeburgicae Domus, tum propriis pactis, sibi debitam, vendicare atque petere instituit. In quo etsi Illustritatem eius et propria amplitudine atque splendore, et inprimis causae iusticia, satis commendatam apud Maiestatem Vestram fore confidimus, speremusque eam Maiestatis Vestrae aequitate et studio ad ius suum obtinendum usuram esse, tamen pro nostra cum Illustritate eius coniunctione proque multis nominibus necessitudinis, quae nobis cum ea intercedunt, non potuimus facere, quin de hoc illius negocio apud Maiestatem Vestram intercederemus. Commendamus itaque Maiestati Vestrae omnem hanc Illustritatis eius causam atque a Maiestate Vestra petimus, ut illi authoritate sua ad omnia adesse dignetur. Quicquid autem Maiestas Vestra benevolentiae aut studii in Illustritatem eius contulerit, id eo loco, ac si in nosmetipsos collatum esset, habituri sumus, existimetque Maiestas Vestra velimus, omnem Illustritatis eius rem ac dignitatem non minori pene curae nobis, quam propriam nostram esse. Itaque quicquid tributum illi a Maiestate Vestra erit, id nos officiis observantiaque nostra filiali compensare illi referreque semper studebimus. Tandem nos paterno Maiestatis Vestrae amori commendamus eamque diu foelicem valere cupimus. Datum Vilnae, die secunda Decembris, anno Domini MDLVII, Regni nostri XXVIII.

*N. 1628.*

*Vilnae, 4.XII.1557.*

*Ioannes Przerembski, nominatus Chelmensis, R.P. vicecancellarius, Alberto in Prussia duci*
*de studio suo in negotio restitutionis archiepiscopi Rigensis [Gulielmi marchionis Brandenburgensis] ex dignitate expediendo refert; in causa resarciendorum sumptuum bellicorum, a duce factorum, nihil a rege obtineri posse significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod Illustrissima Celsitudo Vestra mihi per litteras gratias agit pro studio atque opera mea, qua in motibus illis Livonicis componendis atque in Reverendissimi et Illustrissimi Domini Archiepiscopi Rigensis, fratris Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, restitutione conficienda usus fuerim, facile in eo agnosco Illustrissimae Celsitudinis Vestrae erga me gratiam, pro qua facit, ut studia mea, quae pro Serenissimi Principis mei honore Reique Publicae utilitate atque adeo pace Christianitatis lubens suscepi, illi grata sint. Et quidem ita mihi in eo elaborandum semper statuebam, ut nihil a me neque diligentiae, neque curae praetermitteretur, quod vel ad Reverendissimae et Illustrissimae Paternitatis Suae restitutionem ex dignitate comparandam, vel ad reliquas armorum causas componendas conferri a me potuerit. Cumque tandem per Dei benignitatem constitutae res sint, opto atque precor Reverendissimae Paternitati illius, ut transactio haec foelix ei atque laeta perpetuo sit.

Quod autem Celsitudo Vestra a me postulat, ut apud Sacram Regiam Maiestatem agerem, ut Celsitudini Vestrae sumptus in bellum factos Sacra eius Maiestas sarciret, pro mea erga Celsitudinem Vestram observantia egi diligenter. Porro difficiliorem nobis eius rei rationem fore video, quod Sacra item Regia Maiestas, magnis sumptibus exhausta, neget se amplius quicquam ea in re praestare posse, commemorans id, quod de Celsitudine Vestra stipendiis iuvanda promiserat, factum iam ab se esse tantumque se e fisco suo impendisse, ut ampliores sumptus futuri illi difficiles sint. Itaque mea quidem omnis opera in re apud Sacram eius Maiestatem agenda constabit. Quid sane Celsitudini Vestrae polliceri debeam, exploratum nihil habeo. Legatos Sacrae Regiae Maiestatis Reverendissimo et Illustrissimo Domino Archiepiscopo adiungendos curavi, qui ei adfuturi sunt, quod integre constitutum ab omni restitutione erit... Datum Vilnae, die IIII Decembris, anno Domini MDLVII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski, Nominatus Episcopus Chelmensis.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1629.*

*Ciechanów, 21.XII.1557.*

*Stanislaus Ławski, palatinus Masoviae et regis ibidem vicesgerens, Alberto in Prussia duci*
*quendam Potrykowski (Potrikoski) Golenia, indigenam districtus Plocensis, iurisdictioni suae non subiacere significat, ideoque se efficere non posse, ut subditis ducis cum eo de quodam facinore iustitia administretur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.388.*

# 1558

*N. 1630.*

*Vilnae, 2.I.1558.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio Hanseatico et de iis, quae de rege Sueciae ad regem Poloniae secreto delata essent, ducem ex litteris regiis intellecturum esse affirmat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Literas Sacrae Regiae Maiestati inscriptas, quas ad me Illustrissima et Excellentissima Dominatio Vestra miserat, Dominus Kunhem a cubiculario illius acceptas Reverendissimo Domino Episcopo Chelmensi, Procancellario,[1] reddidit. Nescio sane, qua de causa, sed cubicularii plane culpa in eo est nulla, qui per ignorantiam alibi eas reddi est passus. Mihi certe fuisset optabile, cum nihil maius hoc tempore contigisset, vel hac saltem in re, quam mihi dedit in commissis, voluntati ac postulatis Illustrissimae et Excellentissimae Vestrae Dominationis satisfacere studiumque et observantiam illi testari meam.

Quod ad Ansae negocium attinet, Illustrissima et Excellentissima Dominatio Vestra ex literis Sacrae Regiae Maiestatis intelliget, quantum iudicio sententiaeque illius tribuat. Et quaedam praeterea cognoscet, quae secreto de Rege Suetiae[2] ad eius Maiestatem sunt perlata. De quibus omnibus rebus quid sentiat, quidve fieri velit Illustrissima et Excellentissima Dominatio Vestra, Sacra illius Maiestas expectabit. Tanti enim eam facit et tantum sibi de illius erga se amore ac observantia persuadet, ut nihil hac in re absque illius consilio facere statuerit. Quod cum perscribet Illustrissima et Excellentissima Dominatio Vestra, providebit, ut secreto et per eorum manus, quibus confidit, quales multos habet Illustrissima et Excellentissima Dominatio Vestra, expediatur. Quod superest, Illustrissimae et Excellentissimae Vestrae Celsitudini novum hunc annum faustum et foelicem precor et opto, ut novis ipsa quoque viribus novoque vigore augeatur. Datum Vilnae, II die Ianuarii, anno Domini MDLVIII.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Ioannes Przerembski.*
2) *Gustavus I.*

*N. 1631.*

*Szawkiany (Schovkiani), 6.I.1558.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus Samogitiae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut subditis regiis Samogitiensibus, praesentium latoribus, cum quodam subdito ducis, With Paul, qui olim Regiomonti habitabat, iustitia administretur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1632.*

*Łomża, 9.I.1558.*

*Hieronymus Modliszewski, capitaneus Lomzensis et Colnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ad querelam capitanei Iohannisburgensis respondet teloneum Colnense antiquitus constitutum esse et omnes ad eius solutionem teneri.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1633.*

*Vilnae, 11.I.1558.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*Erhardum a Kunheim, servitorem suum, subditum ducis, iam pridem a se commendatum, iterum commendat, ut ei dux nonnulla bona concedere dignetur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1634.*

*Szawkiany, 16.I.1558.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, Samogitiae capitaneus generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro quodam subdito regio Samogitiensi intercedit, cui civis Regiomontanus, Ioannes Mestran, 5 marcas pro duobus pecoribus nondum persolutas debuit (quae pecora decem marcarum pretio illi vendidit), quam pecuniam non solum ei non reddidit, sed etiam in domo sua pernoctanti 25 marcas furto abstulit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1635.*

*Pragae, 19.I.1558.*

*Martinus Cromerus, orator regis Poloniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*mittit exemplum litterarum regis Ferdinandi ad regem Poloniae, responsoriarum ad legationem suam in negotio feudi Franconici pro duce Alberto obtinendi.*
*(Cum schedula adiuncta)*
*Sigill. Autogr.*
*(Annexum: exemplum litterarum regis Ferdinandi I ad regem Poloniae de die 17.I.1558)*
*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Cum Serenissimus Rex noster iniungeret mihi nuper legationem ad Serenissimum Regem Romanorum etc., dedit mihi in mandatis, ut quam diligentissime negocium Illustrissimae Dominationis Vestrae Maiestati eius commendarem ostenderemque, quoad possem, quam ipsi id curae esset. Quod equidem feci sedulo. Statim respondit Maiestas eius, ante triduum etiam se literas eadem de re eiusdem Serenissimi Regis nostri accepisse, deliberaturam vero se esse, quid responsi det. Cum autem ad alias partes legationis mihi respondisset, quod ad Illustrissimam Dominationem Vestram attinet, literas mihi misit clausas ad Serenissimum Regem nostrum earumque exemplum tradi mihi iussit, ut scirem, quid iis contineretur. Quod ego Illustrissimae Dominationi Vestrae per hunc ipsius nuncium mitto, ut ne sit ignara. Literas ipsas mecum feram. Non intelligebam, quid aliud petere nunc deberem. Itaque acquievi. Alioqui non praetermisissem, quin curarem, quae in rem Illustrissimae Dominationis Vestrae fore existimassem... Praga, 19 die Ianuarii, 1558.

Illustrissimae Dominationis Vestrae
addictissimus servitor
Martinus Cromerus, Orator Serenissimi
Regis Poloniae.

*Annexum: Ferdinandus I ad Sigismundum Augustum regem Poloniae.*

Ferdinandus etc. Serenissimo etc.
Actepimus litteras Serenitatis Vestrae, quas die secunda proxime praeteriti mensis Decembris in commendationem Illustris Alberti Senioris, Marchionis Brandenburgensis etc., ad nos dedit, et inde benevole cognovimus, quae causae ac rationes Serenitatem Vestram induxerint, quod negotium illius tanta diligentia nobis commendandum susceperit. Nos quidem erga ipsum Illustrem Marchionem quoquo tempore benigne ac benevole admodum affecti fuimus eundemque animum etiamnum erga Dilectionem eius gerimus, adeoque propensi sumus ei hanc benigni animi nostri propensionem re ipsa per omnem occasionem declarare, maxime Serenitate Vestra pro Dilectione illius apud nos intercedente, cui nos alioquin et pro mutua arctissimaque nostra coniunctione omni loco et tempore gratificari cupimus et intercessionem illius plurimi semper facimus. Verumtamen non possumus Serenitatem Vestram caelare, quod tota illa ditio et regio, quam olim Marchio Albertus Iunior

haereditario iure tenuit, eo tempore, quo ille ex hac vita excessit, in manibus et potestate Franconici foederis complicum extiterit, et paulo post ad tertias manus Sacrae Caesareae et Catholicae Maiestatis, fratris et Domini nostri charissimi, vel Commissarii ad id deputati, consignata fuerit. Deinde vero cum Illustris Georgius Fridericus Marchio Brandenburgensis, instructus insigni nonnullorum Electorum ac Principum, et potissimum Illustrium Marchionum Ioachimi Electoris et Ioannis, consanguineorum nostrorum charissimorum, intercessione et assistentia, enixe postulasset sibi eiusmodi provintias a praefato quondam Marchione Alberto Iuniore, patruele suo, relictas remitti, quas nimirum virtute legitimae successionis post mortem illius ad se, tanquam proximum huiusmodi faeudorum capacem agnatum, devolutas esse affirmaret, nos sane, qui nunquam audiveramus aut intellexeramus quemquam, praeter dictum Illustrem Marchionem Georgium Fridericum, in illis quicquam iuris haereditarii hoc tempore praetendere posse, tunc matura et sufficienti deliberatione cum aliquot Principibus et magnis viris, Consiliariis nostris, ea de re habita, ipsi possessionem et administrationem earundem provintiarum benigne concessimus. Quas cum Dilectio illius hucusque (quantum nobis constat) pacifice possederit atque nunc possideat, pro parte nostra in praesentiarum aliud in hoc negotio statuere agereve nequimus, quam ut rem omnem, sicuti ad nos iam perlata est, dicto Illustri Marchioni Georgio Friderico significemus audiamusque, quod Dilectio illius e diverso sit responsura. Cognita autem responsione ipsius, nos citra longiorem moram eam in hoc negotio capiemus deliberationem, quae aequitati et iustitiae consentanea erit nullique parti merito onerosa videri poterit. Quod reliquum est, Serenitati Vestrae paternae nostrae erga eandem benevolentiae studium atque propensionem amanter deferentes, diuturnam ei valetudinem omni foelicitate coniunctam exoptamus. Datum Pragae, die XVIIa mensis Ianuarii, anno Domini MDLVIII.

Serenissimo Regi Poloniae.

*Schedula manu Martini Cromeri scripta:*

Illustrissime Princeps.

Cum has scripsissem Pragae, misi qui postularet ab eo, qui nomine Illustrissimae Dominationis Vestrae ibi erat, ut ad me veniret. Sed non est dignatus. Nunc eas nihilominus mitto. Cracoviae.

*N. 1636.*

*Cracoviae, 26.I.1558.*

*Ioannes Kurzbach Witkowski, decanus Gnesnensis et canonicus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia nepti suae, filiae fratris sui demortui Alexandri, a duce exhibita, et maxime in iungenda ea in matrimonio cum libero barone ab Heideck, gratias agit seque excusat, quod plurimis negotiis, ab episcopo Cracoviensi sibi commissis, ad nuptias venire non possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1637.*

*Lanciciae, 28.I.1558.*

*Ioannes Lutomirski, castellanus Ravensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Ioanne Secluciano, ut ei dux subsidium aliquod conferat.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quum, Illustrissime Princeps, Dominus Ioannes Seclucianus in proximis Thorunensibus nundinis vitae rebusque suis consulendo ageret, meque non procul ab hinc vivere ex certis autoribus accepit, intermittere noluit, quin me, tanquam sui amantissimum, inviseret. Et dum per aliquot horas mihi colloqueretur, obtulit inter cetera mihi studium suum operamque suam, quam in cudendis Polonico idiomate libris in laudem Christi et commodum illius commendavit, et a me consilium, quo commodius hoc et absque quovis dignitatis vocacionisque suae periculo perficere posset, petiit. Ego, quantum in me fuit, opera non denegata, et consilium dedi et rem hanc, ut gratam, sic et iucundam ab eo intellexi.

Ceterum, Illustrissime Princeps, etsi nihil in ea interfuit, tamen ab eo, an aliquod ab urbe sallarium haberet, quaesivi. Respondit se partim Illustrissimae Dominacionis Vestrae beneficio tantum, partim hac frequenti librorum aeditione vitam agere. Mirabar certe, presertim cum coniuge et liberis, non postremae eruditionis hominem et Ecclesiae Christi commodum, tam paucis contentum. Precor itaque, Illustrissime Princeps, ut illi Illustrissima Dominatio Vestra pro hac, qua multum valet, humanitate et dignitatis officio singularique pietate, adiumento sit illique, quantum ius pietasque permittit, commodet. Hoc, de quo nil dubito, cum Illustrissima Dominatio Vestra faciet, magnam non tantum a nostris, verum etiam ab exteris laudem et gratitudinem et a Christo mercedem Illustrissima Dominatio Vestra reportabit.... Datum in castro Lanciciensi, 28 Ianuarii, anno 1558.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servitor promptissimus
Ioannes Lywthomyrski, Castellanus Rawensis etc.,
manu propria subscripsit.

*N. 1638.*

*Vilnae, 5.III.1558.*

*Nicolaus Trzebuchowski, regii cubiculi praefectus,*
*Alberto in Prussia duci*
*Vincentium Ruszkowski, regium stipatorem, commendat, ut ei dux nonnullos incultos agros in territorio Lubstacensi et lacum quendam in territorio Ostrocensi donare dignetur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

## N. 1639.

*Vilnae, 8.III.1558.*

*Nicolaus Łaski, curiae regiae incisor,*
*Alberto in Prussia duci*
*Vincentium Ruszkowski, regis stipatorem, commendat, ut certa bona Pitaw dicta, et stagnum in districtu Ostrocensi situm, dictum « Wormanis Seehen » [lacus Wormiensis], a duce obtinere possit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

## N. 1640.

*Vilnae, 12.III.1558.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ducem hortatur, ut in re societatis cum civitatibus Hanseaticis se regis et omnium communi sententiae associet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Legatos et Oratores Spectabilis Senatus Gedanensis hinc ad sua redeuntes nolui quidem absque meis litteris ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram vacuos dimittere. Supervacaneum tamen existimavi eis de rebus ad illam scribere, quae hic una cum ceteris civitatum maritimarum Legatis egerint, quos tractatus habuerint, quaeve consilia cum Maiestate Regia inierint, quandoquidem id ipsos prolixe et copiose sermone suo Illustrissimae Celsitudini Vestrae coram declaraturos et explicaturos intelligebam. Unicum hoc tantum addendum existimavi, ut et Illustrissima Celsitudo Vestra se Maiestatis Regiae sentenciae et conclusionibus coniungat et associet communi consilio et voluntati. Quod ipsum Illustrissimam Celsitudinem Vestram plane michi facturam persuasi, siquidem ea pro sua prudentia facile videre iudicareque poterit non minus id illius, quam nostris ac adeo tocius huius societatis rationibus expedire, si coniunctis animis et voluntatibus unum omnes spectemus. Qua de re nolo pluribus apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram agere, sed acturi sunt hi Domini Legati et ostensuri tantum ex ea re commodi et bonae utilitatis ad Illustrissimam quoque Celsitudinem Vestram perventurum, quantum alioquin ad reliquos, societatem hanc non approbantes, incommodi pervenire redundareque poterit. Restat, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae diuturnam incolumitatem et felicia omnia comprecer. Datum Vilnae, XII Marcii, anno Domini 1558.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
[a] servitor
Nicolaus Radzyvyl manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1641.*

*Goluchoviae, 18.III.1558.*

*Ioannes Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*adventum suum ad ducem annuntiat et litteras sibi a despota Sami concreditas praemittit.*
*Sigill. Autogr.*
*Iam ed. Kuyper II, p. 752.*
*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ab eo tempore, quo per meos vocatus divino beneficio in patriam redii, sedulo mecum semper de adeunda Tua Celsitudine cogitavi atque in animo plane habui, ut in meo [a] ex Lituania a Regia Maiestate reditu anno adhuc superiore ad Tuam Celsitudinem deflecterem, eaque de re cum Magnifico Domino Mariaeburgensi Palatino [1] Wilnae consilia communicabam. Sed et itineris tamen incommoditas ipsa ex intempesta prorsus hyemis solutione id mihi non permittebat ullo modo, et bellicis alioque motibus ita iam perstrepebant omnia, ut parum oportune forte venturus eo tempore fuerim ad Tuam Celsitudinem, etiamsi venire licuisset. Postea vero toto hoc anno et cum morbo meo subinde ita conflictabar (divina permissione) et negociis item partim domesticis, partim etiam ad religionem pertinentibus, ita distringebar, ut meo huic desiderio adeundi Celsitudinem Tuam nulla hactenus ratione satisfacere potuerim. Nunc porro, confirmata utcunque valetudine (gratia sit Domino), et ocii nonnihil nactus, iter meum mihi ad Celsitudinem [a] Tuam [b] instituendum esse iudicavi.

Venerat autem sub id tempus ad me vir vere illustris, Dominus Despota Sami.[2] Qui cum de suscipiendo meo ad Tuam Celsitudinem itinere ex me intellexisset, litteras mihi suas ad Tuam [Celsitudinem] perferendas dedit et petiit, ut, si forte mihi diutius in itinere alicubi haerendum esset, litteras ipsas ad Tuam Celsitudinem praemitterem. Cum igitur ita me et obliquare iter meum et certis locis haerere nonnihil oportere viderem, dedi operam apud affinem meum, Dominum Raphaelem Leszczinski, Radzieoviensem Capitaneum, ut litterae mihi concreditae ad Tuam Celsitudinem praemitterentur, simulque et meas hasce addere volui, ut Tuae Celsitudini de meo ad ipsam itinere obiter indicarem. Expectandi autem hic sunt mihi per triduum forte adhuc amici quidam, ut cum eis colloquar. Deinde vero Mariaeburgum petam et forte Dominum Mariaeburgensem Palatinum visam, si quomodo illum ad Tuam Celsitudinem pertrahere mecum queam atque ab illo sciscitér, ubinam mihi sit quaerenda Celsitudo Tua. Cuius interim clementiae me summa cum observantia commendo et Deum oro, ut Tuam Celsitudinem nobis et Ecclesiae suae servet. Oro iterum Tuam Celsitudinem, ut, si aut litterae ullae aut nuncius quispiam interea ad me istuc veniat ad aulam Tuae Celsitudinis ab Illustrissimo Domino Wilnensi Palatino,[3] retineatur istic usque in adventum meum. Spero autem me ante Palmarum ad Tuam Celsitudinem perventurum esse per gratiam Dei. Goluchoviae, 18 Martii, anno 1558.

Tuae Celsitudinis Illustrissimae
addictissimus servitor
Ioannes a Lasco manu propria.

a) *supra lineam.*
b) *sequitur non expunctum*: Celsitudinem

1) *Achatius Czema.*
2) *Iacobus Heraclides Basilicus.*
3) *Nicolaus Radziwiłł « Niger ».*

*N. 1642.*

*Grodzisko, 21.III.1558.*

*Stanislaus Ostroróg,*
*Alberto in Prussia duci*
*Franciscum Lismaninum, propter religionem vagum et patria expulsum, commendat.*

*Sigill.*

*Iam ed.: Wotschke, Lismanino,* suppl.VI.

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Dedi in mandatis Nobili Eustachio Trepcae, ut quaedam meo nomine ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram referret. Quem ut benigne audiat, fidem habeat ac tantum sibi de me, quantum ex eo intelliget, persuadeat, plurimum oro. Caeterum cum intelligerem Franciscum Lismaninum, singularis tum eruditionis, tum prudentiae hominem, ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram proficisci in animo habere ac a me, ut per meas literas ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram faciliorem aditum haberet, contendere, ei hac in parte deesse nolui. Tametsi omnibus aliquo vel eruditionis vel virtutis encomio commendatis aulam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae semper patere minime ignorarem. Itaque ab Illustrissima Celsitudine Vestra peto, ut virum optimum et propter religionem vagum proiectumque sua gratia et humanitate, ubi advenerit, complectatur. Quod Illustrissimam Celsitudinem Vestram, quo studio erga puriorem religionem eiusque assertores ducitur, facturam omnino confido. Quod superest, a Deo precor, ut Illustrissimam Celsitudinem Vestram salvam florentemque quam diutissime tueatur, a qua et hoc unicum peto, ut egregiam suam erga me voluntatem conservet. Datae ex Grodzisko, 21 Martii, 1558.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor
Stanislaus ab Ostrorog manu propria
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1643.*

*Vilnae, 26.III.1558.*

*Ioannes Domanowski, episcopus Mednicensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Iacobum Mutyński (in ms. Muthinsky), occasione accusationis de submergendo quodam iuvene iniuste a capitaneo Ryngensi iniuriam perpessum, commendat rogatque, ut ei certa bona hereditaria ablata restituantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

## *N. 1644.*

*Odolanów, 26.III.1558.*

*Ioannes Zborowski*
*Alberto in Prussia duci*
*pro admonitionibus gratias agit, quomodo se in publicis viis in Prussia gerere debeat, ut equites Pruthenos* («preischen reiteren») *vitare possit; dominum a Dohna videre se non potuisse queritur; de rapinis a Tartaris in Podolia factis refert; veniam sibi dandam petit ob errores, propter linguae germanicae ignorantiam commissos. (Germanice.)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

## *N. 1645.*

*Heiligenbeil, 18.IV.1558.*

*Ioannes Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*pro hospitalitate et clementia sibi exhibita et pro itineris comitibus sibi adiunctis gratias agit; Horatium Curionem commendat.*

*Sigill. Autogr.*

*Iam ed. Kuyper II, pp. 757 sq.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Si res verbis pensandae essent, operosam sane epistolam declarata nunc in nos Tuae Celsitudinis clementia postularet. Sed cum neque sit virium nostrarum dignam Tuae Celsitudini ullo modo referre gratiam, et Tua Celsitudo verba non usque adeo moretur, nostraque praeterea infantia obstet etiam, quominus hic aliquid praestare possimus, confidimus pietati, clementiae et humanitati Celsitudinis Tuae, quod animum nostrum, Tuae Celsitudini alioqui addictissimum, sit benigne ac clementer acceptatura, etiamsi verbis ad agendas Tuae Celsitudini gratias plane destituamur. Hoc certe profitemur ingenue, nos Tuae Celsitudini oportere esse addictissimos, et qui nihil magis cupiamus, quam ut nostram gratitudinem atque observantiam declarare ac contestari apud omnes, Tuae vero Celsitudini approbare etiam, aliquomodo possimus. Et dabimus operam pro summa virili nostra,[a] ut Tua Celsitudo intelligat nos neque ingratos neque immemores esse futuros beneficiorum ipsius. Inter quae etiam id non postremum agnoscimus, quod Tua Celsitudo nobis adiunxerit vere nobiles et omni Tuae Celsitudinis beneficentia dignos plane viros, Dominum Hondorffium[1] et Dominum Falkenhan. Quorum certe eam probitatem, fidem atque diligentiam experti sumus, ut optemus multos illorum similes in aula Tuae Celsitudinis haberi semper posse.

Agimus igitur Tuae Celsitudini peculiariter etiam gratias pro additis talibus deductoribus, imprimis autem pro Domino Hondorffio, cuius certe probitatem, candorem, modestiam, studium ac fidem non possumus Tuae Celsitudini non singulariter commendare, et suppliciter orare,

ut Tua Celsitudo illum (nostra etiam causa) clementia ac beneficentia sua clementer prosequi dignetur. Porro et hospitis nostri, Francisci Gruczmacher, obiter etiam meminisse voluimus apud Tuam Celsitudinem et supplicem nostram pro illo petitionem denuo repetere. Exposuit iam nobis causam suam, posteaquam Tuae Celsitudini valedixissemus. Eam vero, quoniam paucis perscribi iam non potuit, Dominus Hondorffius Tuae Celsitudini nostro nomine exponet. Oramus supplices Tuam Celsitudinem omnes, ut eius rationem Tua Celsitudo (quoad eius, sine Tuae Celsitudinis dispendio, fieri poterit) clementer habere velit. Postremo quoniam ipsimet peregrinationum incommoda aliqua ex parte sumus experti,[b] putavimus etiam nostri officii esse (posteaquam nobis Dominus gratiam in oculis tuis largiri dignatus est), ut Tuae Celsitudini Dominum Horatium Curionem, virum (pro aetate) et doctum et gravem et pium commendaremus. Hoc ille quidem a nobis vere non petiit, quin potius Tuae Celsitudinis in se propensionem ac munificentiam multis verbis praedicavit. Sed nos peregrinorum conditionem alias (ut diximus) utcunque experti, existimavimus illius quoque mentionem nobis apud Tuam Celsitudinem, cum aliqua commendatione, faciendam esse. Quod restat, nos Tuae Celsitudinis clementiae omnes supplices commendamus et Deum oramus, ut Tuam Celsitudinem nobis et suae Ecclesiae diutissime incolumem servet. Amen. Raptim admodum in Heiligenbeil, 18 Aprilis, anno Domini 1558.

Tuae Celsitudinis Illustrissimae
modis omnibus addictissimus servitor
Ioannes a Lasco cum collegis suis omnibus
manu propria.

a) *sequuntur aliquot verba expuncta.*
b) *supra lineam*

1) *Georgius Hohendorff, capitaneus Iohanisburgensis a. 1559.*

*N. 1646.*

*Krożе, 1.V.1558.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus Crozensis*
*Alberto in Prussia duci*
*per aulicum archiepiscopi Rigensis Gulielmi ducem salutat, servitia sua offert, de longo ducis silentio queritur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1647.*

*Leszno, 6.V.1558.*

*Raphael Leszczyński, heres in Leszno et Rozrażew,*
*Alberto in Prussia duci*
*excusat se, quod priori expeditioni, una cum domino ab Ostroróg (a Scharffenorth), interesse non potuerit, duos equites commendat, ut eos dux una cum equis in servitutem suam assumat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Durchlauchlauchtigster [z] *etc.*
Gnediger furst und herr.
Ob ich woll (sonder rum Ewer Furstlichen Gnaden zu vormelden) mich zum vleissigsten beflissen an der polnischen ko. mt. hof,

meines gnedigsten herren, E. F. G. angenehme dinste zu erzeigen, bin ich doch besorgende, E. F. G. werden meinen nhamen im vergessen gestelth haben. Hab mich aber beflissen, denselben wider bein E. F. G. zu vornewen und beschlossen mit dem herrn vom Scharffenorth E. F. G. vergangnem zuge mit vormögender rustung zuzuziehen. Aber auss grossen und wichtigen ursachen doran verhindert worden, kan ich doch E. F. G. nicht pergen, das die ehrnvesten zeigere junge gesellen, den eynen ich zuvor bein mir gehapt und ist itzmit beim herrn Prittwitz gewest zu mir kohmen auss der zuflucht, das ich wess, das sie gar eines ehrlichen geschlechts sein und byttlich an mich gefallen, sie an E. F. G. zu vorschreyben. Hab ich ihnen dasselb abgeschlagen, als der ich bein mir befunden, das ich sampt meinen vorschrieften bein E. F. G. in geringem ansehen vormergt werde. Deweyl ich aber E. F. G. zu dinen begierig und die gutten gesellen mit flehender bytt bein mir angehalten, habe ich es ihnen nicht apschlagen müegen in ansehung, das sie auch begirlich sich in andern landen dinstes weise zu vorsuchen und sonderlich E. F. G. zu ziehen in willens. Hirumb an E. F. G. mein ganz demuttig bytten, E. F. G. wolten sich die gutten gesellen in gnaden lassen bevelen sein und sie in E. F. G. hof iden mit einem klepper autnehmen. Sonder zweyvel sie werden sich in ihren bevolnen dinsten dermossen vorhalten, doran E. F. G. ein gnediges gefallen tragen werden. Als ich denn in demuttiger vortrostung schee, E. F. G. werden sich in allen gnaden kegen den gutten gesellen vormergken lassen und ihnen dis mein vorbyttlich, idoch einfeltig schreyben fruchtbar zu genissen gerüchen. Das umb E. F. G. ungesparth leybes und guts zu vordinen erkenne ich mich schuldig ... Datum Liessa, den 6 Maii, anno 1558.

E. F. G.
bereidt williger
Raphaell Leschtzinsky herr
auff Liessa und Rosrazew
Castellan zu Prinent etc.

z) *sic in ms.*

*N. 1648.*

*Posnaniae, 20.VI.1558.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Horatium Curionem, ducis aulicum, propensa et credula aure se audivisse nuntiat eique ea significasse, quae ipse post reditum suum duci oretenus sit relaturus.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1649.*

*Vilnae, 3.VII.1558.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Augustino Dammerau, cive Caunensi, causam cum Benedicto Byne, cive Regiomontano, habente.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1650.*

*Niedźwiadna, 6.VII.1558.*

*Alexander Iłowski, palatinus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se iam saepius ad ducem scripsisse nuntiat, ut capitaneis suis iniungeret, quo sibi subditi profugi et debitores restituantur, nihil tamen hactenus se effecisse queritur, nunc iterum idem a duce petere.*

*Vest. sigilli*

*H B A, B 2, K.389.*

Jasznie Miloscziwę Xiąnzę *etc.*

Iasnie M.cziwe Xianzę, kilkakroczyem ku Vassei Xianzeczei M.czi moiemu M.cziwemu Panu pissal prossancz, abi my bili poddani a vinovaczi mogi s panstwa Vassei Xianzenczei M.czi vidani. Acz Vassa Xianzenczia M.cz, moi M.cziwy Pan, listow svich kilkakrocz davacz do svich starost raczil, na konyecz y list svoi panski otworzoni raczil Vassa Xianzeczia M.cz pissacz do wssistkich wobecz, gdzie bich kolviek svego poddanego nalasl, abich gi wssiącz mogl, pozilalem vielie razow s themi listhi Vassei Xianzenczei M.czi do starost X. M.czi, a navienczei do pana Heidika,[1] ktorzi nye tilo abi my poddanich vidavacz myeli, alie y poslanczow moich nyeprzistoinye przíymovali gi gwaltoff na nye volali. Iuschiemczi ssią, M.cziwe Xianze, uprzikrzil czenstem pissanyem Vassei Xianzenczei M.czi, memu M.cziwemu Panu, gi yuss daliei o thim pissacz nye chczę, liecz na then czassz thom chczial Vassei Xianzenczei M.czi osnaimicz takie nyeposluzenstvo na roskazanie y listi Vassei Xianzenczei M.czi, a nie tilo tho thakie nyeposlusenstwo, alie gi naiasdi, gwalthi gi myenyem gi poddanym nassym dzialayą, a snacz za pozwolienyem starost Vassei Xianzeczei M.czi, czo ssią moze iasnye czassu svego pokazacz. A tak gdzyss ssią nam tho tak dzieie, Vassei Xianzenczei M.czi svemu M.czivemu Panu opoviedami, yss na dobre sanssiesstwo gi przíyasn nycz nye baczą na konyecz, na listi a roskazanie Vassei Xianzenczei M.czi, gdzie yss ssią tak dzieie, yussz nam nyelze iedno ssią panu Bogu poruczicz a yussz tak czierspiecz assz siią Pan Bog[a] za czassem zmyluye... Dan z Nyedzviadnei ve srode po Naviedzenyu Panni Mariy Roku 1558.

Vasszei Xianzenczei M.czi mego M.czivego Pana
povolni sluzebnik
Alexander Ilowski
voievoda Plocki subscripsit.

a) *suprascriptum.*

1) *Volfgangus ab Heideck, cap. Rastenburgensis.*

*N. 1651.*

*Crasnostaviae, 15.VII.1558.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de quodam negotio ducis episcopo Varmiensi [Stanislao Hosio] apud imperatorem [Ferdinandum I] peragendo commisso.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod superiore tempore Illustrissima Celsitudo Vestra a Sacra

Regia Maiestate petierat, ut negotium Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Reverendissimo Domino Episcopo Varmiensi apud Caesaream Maiestatem agendum committeret, id Sacra eius Maiestas perlubenter fecerat, relataque nuper ab eo sunt responsa, que ea in re a Caesarea Maiestate habuit. Quae cuiusmodi sint, Illustrissima Celsitudo Vestra ex exemplis eorum, Sacrae Regiae Maiestatis litteris adiunctis, cognoscet. Itaque etsi non iam existimem, ut quicquam aliud a Caesarea Maiestate interim obtineri possit, tamen si quid erit, quod adhuc me apud Sacram Regiam Maiestatem Illustrissima Celsitudo Vestra curare velit, in eo omnis opera, cura, diligentia mea extabit, neque quicquam studii aut officii praetermittam, ut (in quo iam pridem laborandum mihi statui) omnia obsequia omnemque meam erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantiam illi probem... Datum in Crassnistaw, die XVa mensis Iulii, anno Domini MDLVIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1652.*

*Lublini, 1.VIII.1558.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*ad omnia, quae sibi a duce per Horatium Curionem secreto referenda commissa essent, se oretenus eidem Horatio respondisse significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1653.*

*Kurtowiany, 9.VIII.1558.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus Botocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Ioannem Zawisza et causam eius, quam in cancellaria ducis cum Iacobo Brandt, Regiomontano, de cineribus habet, commendat.*

*Vest. sigilli. Autogr.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1654.*

*Lublini, 1.IX.1558.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*quae de Mosco sibi a duce scripta fuerint, illico se regi significasse nuntiat; timores suos exprimit, ad futuram successoris regis electionem pertinentes.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime et Excellentissime Princeps *etc.*

Quod Illustrissima Excellentia Vestra tanto temporis intervallo ad me literas non dederit, nulli alteri causae quam infoelicitati meae ascribo. Scio enim Illustrissimam Excellentiam Vestram ea esse virtute et constantia, ut quem semel benignitate sua dignum iudicarit, ei propensi animi sui significationes declarare non desistat. Quemadmodum et ego mihi persuadeo neque dubito, quin eadem sit Illustrissima Excellentia Vestra in me, qua fuit semper, voluntate. Quae mihi Illustrissima Excellentia Vestra de Moscho scripsit, quoniam eiusmodi videtur, ut in illa sit penitius necesse inspicere, illico Sacrae Regiae Maiestati exposui, sed in toto colloquio nihil ex eius Maiestate aliud elicere potui praeter id, quod iam ante de hoc negocio illius Maiestas Illustrissimae Excellentiae Vestrae significavit, praesertim quod ea res non tam ad Senatum Regni, quam ad Dominos Lituaniae pertinere videatur. Ad quos etiam literae ab eius Maiestate iam sunt missae. Nihilominus eius Maiestas eo est animo et sentencia, ut nec in Lituaniae Ducatum, nec in Prussiam hoc incendium, pro eo ac debet et obligatione sua tenetur, serpere sit passura... Datum Lublini, die prima Septembris, anno Domini MDLVIII.

[a] Quod in fine litterarum subiunxit rumore ad se perlatum esse varia et periculosa de eleccione successoris Polonie Regis agitari, non sine ingenti dolore agnosco ita esse, quemadmodum scribit Illustrissima Celsitudo Vestra, variosque varia moliri ita, ut fere tot Reges, quot sentencie, si ad eleccionem ventum fuerit, fieri seu nominari oporteat. Eius mali prebuerunt ansam occasionemque littere, a Domino olim Sigismundo universo ordini date, quibus eligendi Regem non Senatoribus modo, sed equestri ordini eciam et, ut verbis privilegii utar, cuilibet nobili militique data est potestas. Sunt et alia, que suspicionem cunctis auxerunt, ita ut sibi oportune providendum existiment in eamque cogitacionem incumbant, quo pacto modus eligendi Regis restringatur modereturque, ne unius Regis loco multos habeamus. Certoque michi persuadeo in proximis Comiciis hac de re consultacionem, urgente equestri ordine, suscipi oportere. Plura rerum racio scribere vetat. Ubi autem nactus fuero fidum aliquem Illustrissime Celsitudinis Vestre nunccium, plura neque inutilia de hac re Illustrissime Celsitudini Vestre significabo...

Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor addictissimus
Ioannes Ocieski.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1655.*

*Lublini, 2.IX.1558.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*quae sibi dux litteris suis perscripserat, ea se regi copiose et diligenter exposuisse significat.*
*(Schedula adiuncta)*

*Vest. sigilli*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*
Opportune accidit, ut postridie eius diei, quo huc tabellio Vestrae Illustrissimae Celsitudinis venit, Sacra Regia Maiestas quoque Warschoviam, propter suspectam auram Crasnostawii, iter faciens diverterit. Cui ea omnia diligenter exposui, quae mihi per Vestram Illustrissimam Celsitudinem copiose et prudenter perscripta erant, quamvis non ignoraverim Vestram Illustrissimam Celsitudinem eadem ipsa Sacrae Regiae Maiestati non minori diligentia quam cuipiam nostrum perscripsisse. Quo factum est, ut Sua Maiestas, citra ullam moram, ad Consiliarios Magni Ducatus Lithuaniae consultum ea de re ablegavit et hec omnia ipsis significavit et rationes aliquas querere mandavit, quibus huic tam praesenti periculo occurrendum esse censuerint. Nollet enim Sua Maiestas se iuris iurandi et foederum violatorem, antequam alias rationes pertentarit, declarare. Nec dubito, quin brevi Sua Maiestas Vestrae Illustrissimae Dominationi mentem suam sit declaratura, quid hoc in negotio faciendum decreverit... Datum Lublini, 2 Septembris, anno Domini 1558.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis
alumnus et servitor
Stanislaus Comes in Thancin subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Schedula:*

Caeterum quoniam ea, quae rumore vulgi ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem de ellectione successoris in Regnum Poloniae Ducis Moschorum sparsa sunt, Vestra Illustrissima Celsitudo mihi libere communicat, et si quid mihi quoque horum constat, ut eidem significarem, postulat. Qua in re Vestrae Illustrissimae Celsitudini, ut in aliis omnibus, morem geram, nec minus ingenue Vestrae Illustrissimae Celsitudini quam vere scribo, nullam unquam eius rei mentionem ab nostris fieri factamque esse, nec a quoquam fieri aliquando posse existimo, nimirum cum nobis nihil libertate charius et dulcius sit, cumque ob hoc nostrae gentis homines filios Caesaris moderni odio habeant et totius Austriacae Familiae imperium exhorrescant,[a] quod in hac Familia aliqua ex parte dominari tyrranidem audiunt. Tantum abest, ut in huius ellectionem consentire aliquando possint ac velint, si eo, quod absit, ventum fuerit, quem ex professo omnes tyrrannorum omnium crudelissimum esse vocant atque barbarissimum esse sciunt. Quoniam autem nonnulla Horatio Curioni commiseram ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram perfe-

renda, cuperem, ut Vestra Illustrissima Celsitudo haec eo animo, quo a me fiunt, accipiat et hisce[b] rebus tempori, ut ratio ipsa necessitasque suadet, occurrat.

a) *in ms.* exhorrescat
b) *sequitur expunctum:* de

*N. 1656.*

*Posnaniae, 14.IX.1558.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*de synodo ministrorum celebrata et de confessione Augustana ab omnibus (exceptis Valdensibus et asseclis Ioannis Łaski) acceptata.*
*Sigill.*
*Iam ed.; Wotschke, Stanislaus Ostrorog, p. 87, nota 3.*
*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quod hactenus de prospero successu bonaque valetudine Vestrae Illustrissimae Celsitudinis nihil exploratum habui, et animo angebar et tedio conficiebar. Quare neque continere neque committere potui, quin isthuc tabellarium mitterem, per quem de iis cognoscerem. Magnam enim voluptatem mihi haec adferre solent, cum ante omnes huius orbis Principes Vestram Illustrissimam Celsitudinem praecipue colam ac observem.

Hisce diebus Synodum ministrorum coegeramus, in qua salubre consilium et pias admonitiones Vestrae Illustrissimae Celsitudinis secuti sumus. Magno enim consensu et mirifico studio confessionem Augustanam omnes amplexi sunt et iuxta praescriptum ipsius ecclesias instaurant. Loquor de multis hominibus illustribus et ministris eorum, qui se ad hanc ipsam confessionem aggregarunt. Valdenses autem paucos, qui adhuc sua retinent, excipio. Neque Craccovienses, qui Domini a Lasko confessionem amplexi sunt, in hunc numerum refero.

Praeterea cum plurimum intersit, ut in ecclesiis nostris sit similitudo rituum et ceremoniarum cantuumque omnium, haecque omnia in linguam nostram traducta et typis evulgata in dicione Vestrae Illustrissimae Celsitudinis habeantur, rogo diligenter, ut Vestra Illustrissima Celsitudo nobis mittat libellos plus minus viginti, qui formam et materiam talium rerum et aliarum, quae ad reformandas ecclesias et ordinationem ministrorum pertineant, mittat. Quod Vestram Illustrissimam Celsitudinem, pro eo studio, quo cupit proferri et propagari Regnum Christi, facturam confidimus. Quod superest, Deum praecor, ut Vestram Illustrissimam Celsitudinem florentissimam et superstitem diutissime conservet tueaturque eiusque conatus provehat et actiones gubernet, ac rogo, ut, quod semper benigne fecit, me gratia sua complecti pergat et de statu valetudinis suae, quae mihi est eritque semper gratissima et charissima, me certiorem reddat. Datae Poznaniae, die 14 Septembris, anno 1558.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
perpetuus et addictissimus servitor
Stanislaus ab Ostrorog manu propria
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1657.*

*Varsaviae, 16.IX.1558.*

*Albertus Jasieński, tywunus Vilnensis, capitaneus Uspolliensis, Alberto in Prussia duci de bobus sibi ablatis conqueritur et damna resarcienda petit.*

*Sigill.*

*(Germanice)*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1658.*

*Posnaniae, 19.IX.1558.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci restitutionem pannorum, sibi et fratri suo ab officialibus ducis interceptorum, expetit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Erlauchter, *etc.*

Meiner und meinen brudern underthan von Gnisen, der Isaac Czicz mir und meinen brudern zu gutt von dem Tunsten Pletten hat einkauft vier hundert lundische tucher, welche tucher, weil sie aus bepfelich E. F. G. gehermet sein solden, so ist mein und meinen brudern ganz hochlich piet an E. F. G. unsern genedisten hern, E. F. G. wollet ampts vorwesern, die diesselbige tucher gehermet haben, bepfelich thuen lassen, das diesselbige tucher mir und meinen brudern zugutt frei gelassen werden und dem in den zeiger dies brives uberantwortet. Welches wir mit unsern willigen dinst kegen E. F. G., unsern genedigsten hern, vordienen wollen und dormit Gott dem Almechtigen bepfolen. Gegeben Posen 19 Septembris anno 1558.

Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor
Lucas Comes a Gorka
Palatinus Lenciciensis, Capitaneus Buscensis.

*N. 1659.*

*Cracoviae, 21.IX.1558.*

*Ioannes Kurzbach Witkowski, decanus Gnesnensis, canonicus Cracoviensis, Alberto in Prussia duci pro benevolentiae nepti suae, filiae fratris sui defuncti Alexandri, nunc non solum parentibus, sed et marito orbatae, a duce exhibita, gratias agit et gaudet, quod dux eam inter matronas coniugis suae habere voluerit; rogat praeterea, ut ei tutores ex agnatis suis instituantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1660.*

*Varsaviae, 25.IX.1558.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*ut mercator sibi a duce commendatus ius suum a Sigismundo Wolski consequi possit, censere se scribit necessarium, ut eundem Wolski in iudicium vocet.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1661.*

*Varsaviae, 2.X.1558.*

*Christophorus Lasota*
*Alberto in Prussia duci*
*parata servitia et obsequia sua offert.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1662.*

*Varsaviae, 2.X.1558.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de studio suo et diligentia in negotio quodam sibi a duce commendato adhibitis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1663.*

*Varsaviae, 3.X.1558.*

*Ioannes Przerembski, R.P. vicecancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*quid ad moram in quodam negotio ducis expediendo intercesserit, ex responso regio ducem intellecturum scribit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum ex Generoso Domino Venceslao Schak, Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Oratore, accepissem de eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae omnibus in rebus, de quibus apud Sacram Regiam Ma-

iestatem agendum sibi putavit, voluntate, quod mihi iam pridem omni diligentia conandum statui, ut meam erga Illustrissimam Celsitudinem Vestram observantiam, quam maxime illi omnibus in officiis probarem, dedi operam, ut cuncta ex Illustrissimae Celsitudinis Vestrae sentencia conficerentur. Quid autem ad earum rerum moram intercesserit, Illustrissima Celsitudo Vestra ex responso Sacrae Regiae Maiestatis cognoscet. Meum sane studium et officium promptissimum ad sua iussa omnia semper fore statuat... Datum Varsoviae, IIIa die mensis Octobris, anno Domini DMLVIII.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis servus
Ioannes Przerempski Vicecancellarius subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1664.*

*Międzychód, 19.X.1558.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*de intentione sua ducem in persona invisendi et de morte Eustathii Trepka.*
*Sigill.*
*(Iam ed.: Wotschke, Stanislaus Ostrorog, p. 88, nota 1).*

Illustrissime Princeps *etc.*

Non sine magno animi dolore Illustrissimam Vestram Celsitudinem certiorem facio, pium et eruditum virum, Eustachium Trepkam, diem suum obiisse idque repentino. Ut autem eius mors omnibus piis magnum dolorem, ita hostibus Evangelii summam laetitiam et voluptatem attulit. Hoc Illustrissimae Vestrae Celsitudini pro meo officio significandum duxi, ut, si quid vel literarum vel aliarum rerum Illustrissimae Vestrae Celsitudinis penes ipsum fuisset, repeti curaret.

Caeterum Illustrissimam Vestram Celsitudinem caelare nolo me illam hoc tempore adire voluisse, verum impeditum nuptiis Illustris Comitis Andreae Gorcani. Nihilominus tamen hoc post faciam, cum res meae ferent. Ad equum admissarium quod attinet, omnem operam daturus sum, ut Illustrissimae Vestrae Celsitudini equum aut Turcicum aut Italicum bonum generosumque vel mittam vel ipse mecum adducam. Quod superest, Illustrissimam Vestram Celsitudinem quam diutissime salvam florentemque vivere ex animo exopto ac oro, ut me clementia sua prosequi non dedignetur, de qua ego mihi plus, quam de ullo alio Principe polliceor. Data in Meidzichutt, 19 Octobris, 1558.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor
Stanislaus a Ostrorog manu propria
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

N. 1665.

*Posnaniae, 21.X.1558.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis, Alberto in Prussia duci*

*pro duobus equis Frisiis sibi missis gratias agit; in annexa schedula significat mortem servitoris sui, ducis observantissimi, Eustathii Trepka.*

*(Schedula adiuncta de morte Eustathii Trepka)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

N. 1666.

*Petricoviae, 24.X.1558.*

*Stanislaus Tęczyński, palatinus Cracoviensis, Alberto in Prussia duci*

*se ad Ordines Imperii et ad imperatorem [Ferdinandum I] legatum designatum esse nuntiat, Horatium Curionem, ducis servitorem, secum in ea legatione habere vellet; Christophorum Fortenbach commendat.*

*(Schedula adiuncta)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Gratissimus mihi fuit Generosi et Nobilis Domini Horatii Curionis adventus, tum quod ex eo de incolumitate Illustrissimae Celsitudinis Vestrae certior factus sum, tum etiam quod is multa de gratia et benevolentia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae in me retulit, cuius sermonibus facile acquievi, nec de Illustrissimae Celsitudinis Vestrae gratia unquam dubitavi. Velim etiam, ut Illustrissimae Celsitudini Vestrae persuasum sit me nihil magis aut optare aut cupere, quam illi et ınservire et gratificari per omnem occasionem.

Nam quoniam a Sacra Regia Maiestate, necnon ab Ordinibus Regni ad legationem ad Ordines Imperii et Caesarem ipsum obeundam delectus sum, ac intra quatuor vel quinque ad summum hebdomadas discedam, committere nolui, quin Illustrissimam Celsitudinem Vestram ea de re certiorem facerem rogaremque, ut, si qua in re ac in legatione illi inservire possum, imperaret, nam id, quidcumque fuerit, sincero et candido animo expediam. Propterea igitur servum proprium misi, qui ut quam citissime remittatur, velim. Horatium nostrum, si per Illustrissimam Celsitudinem Vestram licebit, mecum accipere maxime optarim. Esset enim mihi hac in legatione utilis et oportunus. Sunt enim mihi iam dudum mores illius noti. Rogo igitur Celsitudinem Vestram

Illustrissimam, mihi illum concedere dignetur. Absoluta legatione, poterit in Prussiam redire... Datum Petricoviae, die 24 Octobris, 1558.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
servitor perpetuus
Stanislaus Comes in Thanczin, Palatinus
Cracoviensis.[b]

a)-b) *manu propria.*

*Schedula adiuncta:*

Post scripta.

Committere non potui, quin Vestrae Illustrissimae Celsitudini negocium Christophori Fortembach Norimbergensis commendarem. Illi enim ab Illustrissimo Principe et Domino, Domino Georgio Friderico Marchione Brandeburgensi, debetur summa quaedam pecuniae, cuius gratia etiam Sacra Regia Maiestas ad supradictum Principem scripsit mihique illic proficiscenti etiam commisit, ut curarem, ut illi pro debito hoc a Sua Celsitudine satisfieret. Rogo igitur Celsitudinem Vestram Illustrissimam, ut puero sive famulo meo commendatitias literas ad Illustrissimum Dominum Georgium Fridericum det, quas ipse mihi reddet. Hoc beneficium, quodcumque fuerit, ego ab Illustrissima Celsitudine Vestra acceptum sciam, hac[a] quacumque occasione oblata, si fieri poterit, referre curabo.

[b] Servitor Stanislaus Comes in Thanczin
subscripsit.[c]

a) *fortassis pro*: ac
b)-c) *manu propria.*

*N. 1667.*

*Posnaniae, 28.X.1558.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de contractu inter mercatores Anglicos et Iudaeum Gnesnensem, ad mercaturam pannorum et eorum pretia pertinente, servando.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Negocium Iudei Gneznensis, subditi fratrum meorum, quod cure Vestrae Illustrissimae Dominationi fuerit, quas possum ingentes Vestrae Illustrissimae Dominationi ago et habeo gracias. Quoniam vero Iudeus mihi retulit Anglicanos mercatores pactis et conventis inter se initis scriptoque inter se observatis satisfacere noluisse, sed precium pannorum elevare voluisse, videretur id esse et equitati et iusticie contrarium. Qua itaque possum diligencia rogo, Vestra Illustrissima Dominatio authoritatem suam adhibere mea ac fratrum meorum causa dignetur, ut iuxta

contractum empcionis et vendicionis inter se initum scriptoque confirmatum venditor emptori pannos det tradatque, beneficioque et singulari Vestrae Illustrissimae Dominationis in me fratresque meos gracia per dominia Vestrae Illustrissimae Dominationis secure tranquilleque hii panni a Iudeis ad manus nostras devenire possint. Eam graciam Vestrae Illustrissimae Dominationi, Domino nostro summa observancia colendissimo, omni genere officiorum mereri conabimur. Valere foelicem ac optime incolumem a Deo Optimo Maximo ex animo cupientes. Datum Posnaniae, die Veneris, festo Sanctorum Simonis Iude Apostolorum, anno Domini 1558.

[a] Vestre Illustrissime Celsitudinis servitor
Lucas Comes a Gorka, Palatinus Leciciensis,
Capitaneus Buscensis, manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1668.*

*Tomice, 30.X.1558.*

*Ioannes Tomicki, castellanus Rogoznensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro falconibus gratias agit, obsequia offert.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1669.*

*Cracoviae, 2.XI.1558.*

*Ioannes Kurzbach Witkowski, decanus Gnesnensis, canonicus Craco- viensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*gratias agit pro tutela nepti suae, iuxta desiderium suum, a duce instituta.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1670.*

*Cracoviae, 8.XI.1558.*

*Ioannes Ocieski, R.P. cancellarius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Ioanne Frankonowski, qui ob nefas perpetratum fidei sacramento a duce est obstrictus, praefecto Neidenburgensi hostilitatem indixit, quibus factis regis etiam protectionem violavit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1671.*

*Petricoviae, 8.XII.1558.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus et secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*gratias agit pro eo, quod dux nepotes suos, quos ipse in Gymnasium Regiomontanum misit, clementia benignitateque sua se prosecuturum promisit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1672.*

*Cracoviae, 9.XII.1558.*

*Christophorus Lasota*
*Alberto in Prussia duci*
*de aegritudinis reginae mitigatione et de sua proxima Petricoviam profectione nuntiat.*
*(Schedula adiuncta, in qua rogat, an dux epistolam Sigismundi ab Herberstein ex Moscovia, a se missam, receperit.)*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

*N. 1673.*

*Posnaniae, 16.XII.1558.*

*Lucas a Górka, palatinus Lanciciensis, capitaneus Buscensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*equum Frisium sibi per servitorem suum, Ioannem Czarliński, ad se redeuntem, mittendum petit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.389.*

# 1559

*N. 1674.*

*Caunae, 9.I.1559.*

*Ioannes Gradowski*
*Alberto in Prussia duci*
*se iam praefecturae telonei Samogitiae non praeesse, ideo iniuriam subdito ducis illatam « perfidis Iudaeis », nunc teloneo isto praefectis, imputandam esse asserit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Serenissime ac Illustrissime Princeps *etc.*

Actepi litteras Vestre Serenissime Celsitudinis die nono Ianuarii, quibus mihi Vestra Celsitudo, Princeps ac Dominus meus clementissimus, dignata est significare, quod Polange debuisset aliquis ex meis famulis subdito Vestre Serenissime Celsitudinis duas tunnas mellis actipere propter non persolutum soliti telonii denarium. Cum tamen, Serenissime Princeps ac Domine Clementissime, prefecturam telonii Samogitie iam resignavi ab aliquod de viginti hebdomadis, cui nunc presunt perfidi Iudei, ac de acteptione dicti mellis penitus inscius sum, rogo itaque Vestram Celsitudinem, Dominum meum clementissimum, ut me hac in re dignetur habere excusatum. Nam ego semper solitus eram notariis meis in telonio constitutis mandare, ut inscitiam hominum, qui non animo, sed ignorantia seducti, gratis condonarent, sed forsan iam post resignationem prefecture meae ista facta sunt... Cauune, die 9 Ianuarii, anno Domini MDLIX.

Eiusdem Vestre Serenissime Celsitudinis
humilimus servitor
Ioannes Gradowski.

*N. 1675.*

*Konopat, 18.I.1559.*

*Raphael Konopacki, castellanus Elbingensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*salvum conductum petit pro Matthia Bantkowski, ut in Ducatum Prussiae se conferre possit et de homicidio fratris sui se purgare. (Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

## *N. 1676.*

*Petricoviae, 22.I.1559.*

*Nicolaus Łaski, incisor regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*equum Frisium expetit et Vincentium Ruszkowski, litterarum exhibitorem, commendat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

## *N. 1677.*

*Lutomirsko, 26.I.1559.*

*Stanislaus Lutomirski, minister verbi, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio successionis Regni Poloniae in casu mortis regis Sigismundi Augusti, de rebus religionis, de iuramento episcoporum etc.*
*(Schedula agglutinata)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Gratiam et pacem, sanguine Unigeniti Filii Dei partam, et largam coelestem benedictionem omniaque foelicia Amplissimae Celsitudini Vestrae eiusque posteritati ex animo a Patre misericordiarum precor officiaque mea omnia Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Amplitudini defero.

Tardius sane, quam volui, literis meis apello Celsitudinem Vestram: aegritudo obstitit, tum alia obstacula legitima desiderium meum hactenus usque impediverunt, ut illud mihi nullo modo liceret implere. Nunc fidos nactus homines, rumpo ingratum silentium. Contionem illam funebrem, per Maczeiowski Samuelem, Episcopum Cracoviensem, habitam in pompa funebri, diligenter apud eos, qui bibliotecam eius asservarunt et distraxerunt, requisivi, sed investigare nullo modo potui. De rebus Reipublicae Regni Poloniae haec communicare Illustrissimae Celsitudini Vestrae volui. Bsiczki, Castellanus Chelmensis, qui anno praeterito iussu et mandato Sacrae Regiae Maiestatis legationem apud Turcarum Imperatorem obivit, inter caetera acta legationis suae haec nobis communicavit.

Bassas, summos Turcae Senatores, privato in colloquio haec secum egisse: primum requisivisse, quem tandem, Rege hoc Poloniae e vivis sublato (haerede deficiente et prolibus e Rege nullis susceptis), Poloni habituri essent Regem. Respondit Bsiczki, Orator regius, Polonos habere Regem aetate viridi ac florenti, qui itidem aetate integra habeat Regis Romanorum filiam uxorem, ex qua certa proles expectetur. Quae spes si falleret, posse Suam Maiestatem, hac sterili sublata (divina voluntate) coniuge, ex alia sobolem, Regni haeredem, procreare. Hic intulit Rustan

Bassa: Frustranea haec est spes, Legate. Iam tertiam uxorem expertus est, praeter alias plurimas mulieres, Rex vester, irritis semper ictibus etc. Sed ego, inquit, dicam tibi aperte, quem habituri sitis Regem. Hoc mortuo, Imperator noster instructum invicto suo exercitu Ioannis Regis Hungariae filium,[1] sanguine Polono prognatum, in Poloniam mittet, cui et Regnum tradet, hic vester et non alius Rex erit. Legato vero inferente: Vis haec, non electio esset, quam Regni Poloniae proceres et ordo equitum amplissimus et numerosissimus laturi non essent, habent enim electionem Regum liberam, ipsi insigni libertatum privilegio multiplici subnixi, haec omnia una cum vita prius amissuri, quam imminutionem libertatum antiquissimarum passuri, maxime Regibus Poloniae electione (non haereditario iure ullo) apud eos successione perpetua regnantibus, tandem Rustan Bassa hac conclusione huius colloquii est usus: Regum Dominus, Imperator meus, suo ense controversiam hanc facilime est finiturus. Ensis eius Regna assignat, quibus vult etc. etc. De electione futuri Regis quid in Comitiis praesentibus constituetur, ex suis Legatis cognoscet Illustrissima Celsitudo Vestra. Tractatur enim publice de hoc articulo.

Interea sparguntur rumores, iam tres, aut potius quatuor, competitores esse excitatos, qui ambiunt, clam tamen, fastigium huius supremae apud nos dignitatis. Utinam Sigismundus, clementia Dei sublevatus, nobis vivat diu foelix, verbo Dei apud nos fructus aeternos perferente. Hoc enim erepto, Regnum totum ferveret tumultibus periculosissimis.

Maiestas Regia solenni suo mandato inhibuerat, ne equites causa audiendi verbi Dei auderent convenire in locum, Piotrkoviae per eos contionibus fiendis (per ministros aeterni Evangelii) delectum. Cui aedicto regio reclamatum est fortiter per nunctios propter libertatem patriae. Vicit itaque Christus Dominus. Verbum Dei libere praedicatur et coetus piorum frequentantur, repugnantibus portis inferorum omnibus.

Quum esset instituta publica tractatio, quomodo Rex sit et per quos eligendus, equites protestati sunt se nolle in consortium eligendi Regis secum admittere Episcopos tantisper, donec iuramentum praestarent fideles se fore non Papae, Domino suo, sed Regi et toti Regno. Lectum etiam fuit in Senatu coram Maiestate Regia publice iuramentum illorum, quo se Papae, Domino suo, obstringunt, ex quo iuramento convincebantur non patriae custodes, sed proditores fuisse. Volunt itaque nunctii, ut amplius nullum iuramentum praestent suo Domino, Papae, sed tantum Maiestati Regiae et Regno toti. Itaque Pseudoepiscopi nunc praehensant Regni proceres, circumcursitant, soliciti sunt de rebus suis.

Archiepiscopus ille,[2] caecus miser, mortuus est. Cui aeque miser, eadem caecitate laborans, suffectus est Regni Procancellarius, Przerempski. Caetera Doctor Ionas[3] referet et ego scribam, Deo propitio. Interea vehementer doleo sycophantarum morsibus apud Illustrissimam Celsitudinem Vestram fuisse impugnatum constantissimum virum, Patrem meum, Dominum Ioannem a Lasko. Domesticus sum testis, sed levitatem in eo viro, si ullam animadvertissem, libere reprehendissem, neque me socium vanitatis ullius unquam patiar, Deo opitulante, adiutorem fieri. Sathanae hae artes sunt, calumniae piorum. Servet Illustrissimam Celsitudinem Vestram Dominus et Deus noster Iesus Christus aeternum foelicissimam. Cui me et fidelissima servitia mea plurimum

commendo. Quibus pro iure suo libere (si usus mei ullus unquam esse poterit) utatur. Hospitalitati enim et admirandae humanitati Illustrissimae Amplitudinis Vestrae me omnia debere agnosco. Datum subito in opido Liuthomirsko, anno 1559, Ianuarii 26.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae servus
Stanislaus Liuthomirski, minimus verbi Dei
minister, Secretarius Sacrae Regiae Maiestatis
subscripsit.

*Schedula agglutinata:*

Illustrissime Princeps, Magnificus Dominus Ravensis, frater meus,[4] Quiatkovio[5] lapso, est ita infensus factus, ut curam eius omnem abiecerit.

Fortunam reverenter habere debent, quicunque a Deo clementer respiciuntur. Ego mederi eius lapsibus nequeo, ipse ope aliena indigens etc.

De eo statuet Illustrissima Celsitudo pro clementia sua. Scribo illi.

1) *Ioannes Sigismundus.*
2) *Nicolaus Dzierzgowski.*
3) *Christophorus Ionas.*
4) *Ioannes Lutomirski.*
5) *Martinus Kwiatkowski.*

## *N. 1678.*

*Petricoviae, 31.I.1559.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus, Alberto in Prussia duci*
*pro quodam cive Posnaniensi, cuius filius in servitio ducis exsistens, Regiomonti trucidatus est, homicidae autem, iudicum iniquo favore, impuniti evaserunt.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

## *N. 1679.*

*Petricoviae, 3.II.1559.*

*Ioannes Mielecki, palatinus Podoliae, marsalcus R.P.,*
*Alberto in Prussia duci*
*se diligenter curavisse asserit, ut nuntiis ducis in Comitiis Regni operam suam praestaret.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

## *N. 1680.*

*Petricoviae, 4.II.1559.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P., capitaneus, Alberto in Prussia duci*
*se solum contra omnium Regni Ordinum consensum nuntiis ducis in Comitiis multum adesse non potuisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Nihil equidem usquam est, quod modo per me pro exiguitate virium mearum praestari possit, quod non animo promptissimo ad Illustrissimae Dominationis Vestrae mandatum subire ac mea illi obsequia comprobare cupiam. Quod in iis etiam negotiis, quae nomine Illustrissimae Dominationis Vestrae per Nunctios hic in Comitiis exposita sunt, libentissime praestitissem, nisi omnium Regni Ordinum consensu aliud in eo fuisset constitutum, quod Illustrissimae Dominationi Vestrae responderetur, et quidem non sine certis rationibus, ut Illustrissima Dominatio Vestra ex relatione Nunctiorum suorum plenius cognoscet. Aequo itaque animo Illustrissima Dominatio Vestra responsum illud feret, nec existimabit a me aliquid aliud, licet Illustrissimae Dominationis Vestrae studiosissimo, contra omnium voluntatem ac consensum persuaderi potuisse, cum unius sententia contra omnium consensum nequicquam valere potuerit... Datae Piotrcovia, IIII die Februarii, anni MDLIX.

Eiusdem Illustrissimae Dominationis Vestrae
[a] servitor
Ioannes Comes in Tarnow etc. manu sua subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

## *N. 1681.*

*Petricoviae, 4.II.1559.*

*Martinus Zborowski, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*se nuntiis ducis in Comitiis Petricoviensibus opera sua diligenter adfuisse nuntiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

## *N. 1682.*

*Kurtowiany, 9.II.1559.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus Iurborgensis et Bothocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*felicem annum novum duci precatur, ob tardiorem litterarum scriptionem se excusat, perdices dono mittit.*

*Sigill. Autogr.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1683.*

*Torunii, 20.II.1559.*

*Ioannes Suszycki*
*Alberto in Prussia duci*
*filio natu maiore, Stanislao, in Academia Regiomontana litterarum studioso, sibi mortuo, alium filium, natu minorem Nicolaum, duci se commendasse scribit, nunc vero cognovisse illum ad insolita iuramenta ibi obstringi.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Cum audirem Tuae Illustrissimae Celsitudinis erga studia liberalia et illorum cultores plane divinam munificentiam, eaque etiam exteras nationes liberaliter frugi[z] apprime velle, ego quoque confisus liberalitate Tuae Illustrissimae Celsitudinis, filium meum Stanislaum piae memoriae Regimontem[z] versus ad discendas honestas litteras misi in hunc finem, ut aliquando Reipublicae et Ecclesiae prodesse possit, et ad me senem et reliquos amicos aliquis studiorum suorum fructus rediret. Postquam vero Tua Illustrissima Celsitudo eum non poenitendos progressus in liberalibus studiis fecisse idque ex relatu honestorum virorum animadverteret, tunc Tua Illustrissima Celsitudo spem de eo concepit, et quo ad porro discendum sumptus haberet, necessaria clementer suppeditavit. Ille volebat quidem hoc beneficium, a Tua Illustrissima Celsitudine acceptum, aliquo grato obsequio compensare, sed praematura morte oppressus illud, quod in animo habuit, intermisit.

Ego itaque filio meo, in quo universam spem collocaveram, orbatus, arbitrabar me adhuc unicum meae senectutis levamen in filio meo natu minimo, Nicolao, habiturum, si ipsum ad honesta studia capessenda aliquo mitterem. Verum videns id non sine grandioribus sumptibus fieri debere, ad quos meae facultates vix sufficerent, tum quod domesticis rebus valde affluctus[z] eram, tum quod in Stanislaum, maiorem meum filium, plurimos sumptus feceram, opem Illustrissimae Celsitudinis imploraturus confisusque Tuae Illustrissimae Celsitudinis clementia, in hac mea decrepita aetate Regiomontem veni, ut pro liberali clientela gratias agerem, simulque filium meum iuniorem, Nicolaum, substituerem et Tuae Illustrissimae Celsitudini commendarem, ut ipsum Tua Illustrissima Celsitudo eadem benevolentia, qua priorem, prosequi dignaretur. Quod quia facile optinueram,[z] existimavi natum meum ad nihil aliud obligatum[a] iri, quam ut operam det, quo Tuae Illustrissimae Celsitudini, reliquis posteris, ultro non coacte prodesse valeat.

Sed id multo aliter evenire intelligo. Quod enim Tua Illustrissima Celsitudo mihi clementer promisit, hoc aliter accipi a Senatu Collegii, meumque filium nescio ad quae iuramenta adigi comperio, quibus nostra nobilitas suam fidem astringere non solet, cum haec quisque gratus et beneficii memor ultro praestare debeat Tuae Illustrissimae Celsitudini. Itaque obnixe oro, ne Tua Illustrissima Celsitudo hoc beneficium in filium meum praestitum aliter accipi, quam ego quidem et ut[b] aequum est, sinat, vel si fieri potest, Tua Illustrissima Celsitudo eum in aliam Academiam, ubi fortassis magis proficere posset, cum qualicunque sumptu abligare dignetur, ut tandem doctrina et honestate instructus Tuae Illustrissimae Celsitudini utilis magisque idoneus minister esse

queat. Si vero Tua Illustrissima Celsitudo me contentum esse debere his sumptibus in ipsum collocatis arbitratur, ego pro hoc beneficio nunc quidem absens Tuae Illustrissimae Celsitudini gratias ago, et in posterum, si me Deus incolumem reservaverit, una cum filiis meis omnis generis obsequiis[b] absens promereri conabor. Interim peto, ut Tua Illustrissima Celsitudo filio meo liberum discessum concedere dignetur... Datum Torunii, 20 Februarii, anno Domini 1559.

Tuae Illustrissimae Celsitudini deditissimus
Ioannes Sussyczky.

a) *in margine.*
b) *supra lineam.*
z) *sic in ms.*

*N. 1684.*

*Vilnae, 8.III.1559.*

*Ioannes Domanowski, episcopus Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*Paulum Siesicki (Szieszicżki) commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1685.*

*Sandomiriae, 9.III.1559.*

*Ioannes Tarnowski, castellanus Cracoviensis, exercituum R.P. capitaneus,*
*Alberto in Prussia duci*
*nobilem Fridericum Hirsperger (Hirschberger?) commendat, ut eum dux in numerum servitorum suorum accipiat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1686.*

*Vilnae, 14.III.1559.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*Paulum Siesicki (in ms. Szieszicżki), in numero servitorum ducis reputari cupientem, commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

N. 1687.

Stobnica, 24.III.1559.

*Martinus Zborowski, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*nuntium ducis ipsi de omnibus oretenus relaturum esse significat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

N. 1688.

Posnaniae, 4.IV.1559.

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Matthia Wołyniec (in ms. Wolenecz), patre Sebastiani Wołyniec, iuvenis a notis homicidis interfecti, ut ei iustitia administretur.*
*Sigill.*
*Iam ed.: Wotschke, Stanislaus Ostrorog, p. 90, nota 1).*
*H B A, B 2, K.390.*

N. 1689.

Posnaniae, 5.IV.1559.

*Martinus Nowowiejski*
*Alberto in Prussia duci*
*se filium suum Martinum, in aula ducis manentem, domum revocare constituisse significat et pro beneficiis eidem filio suo exhibitis gratias agit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

N. 1690.

Cracoviae, 8.IV.1559.

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus et notarius Lithuaniae,*
*Alberto in Prussia duci*
*puerum Ioannem Wiesiołowski, sororinum suum, in Academiam Regiomontanam ediscendarum bonarum litterarum gratia se conferentem, commendat.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1691.*

*In Nova Civitate, 15.IV.1559.*

*Ioannes Soborowski*
*Alberto in Prussia duci*
*pro benevolentia sibi in aula ducis exhibita et pro auxilio in itinere praestito gratias agit, servitia offert.*
*(Germanice)*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1692.*

*Kazimierza Mała, 15.IV.1559.*

*Stanislaus Lutomirski, minister verbi, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de aegritudine sua lamentatur; remittit librum graecum Theodoreti episcopi Cyri, ex bibliotheca ducis ab Ioanne Łaski usui acceptum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Coeli et terrae summus arbiter, orbis ille domitor unicus, Christus Iesus, servet Illustrissimam Celsitudinem Vestram, una cum sua suavissima coniuge et prolibus, ad nominis sui adorandi gloriam perpetuo foelices etc.

Servitia et officia mea, fide et integritate stabilia, in gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae commendo, simulque significo literas Illustrissimae Celsitudinis Vestrae 2 Aprilis mihi esse redditas, quo tempore magno in discrimine vitae meae versabar. Universum enim corpus meum veneno sane gravi fuit infectum. Nunc itaque viribus plane exhaustus et destitutus, animo languens, ea, quae cupio effundere in papyrum nequeo. Quae nihilominus, Deo meo propitio, brevi, ut confido, oblata occasione fidi et commodi tabellionis, diligenter descripta transmittam. Sunt enim meo quidem iudicio res seriae, graves, Ecclesiae Dei utiles et Illustrissimae Celsitudinis Vestrae notitia futurae iucundae.

Interea mitto Illustrissimae Celsitudini Vestrae librum, ex Bibliotheca Amplitudinis Illustrissimae Vestrae per Dominum Ioannem a Lasco usui acceptum (Theodoriti Episcopi Cyri), Graecum, Romae impressum. Quem quod maturius Dominus a Lasco non remiserit, multae causae obstiterunt. Qui etiam aeger existens et curis variis occupatus, sese Illustrissimae Celsitudinis Vestrae gratiae plurimum commendat. Cuius clementiae et pietati ego me totum do, dedico et trado. Quam

servet Servator omnium clementissimus. Datum in Parva Kazimierza propre Cracoviam, 15 Aprilis, 1559.

[a] Illustrissimae Celsitudinis Vestrae servus
Stanislaus Luthomirski, corpore misere affecto,
subscripsit.

Confessionem Latine versam ut habeat, curabo.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1693.*

*Kazimierza Mała, 23.IV.1559.*

*Stanislaus Lutomirski, minister verbi, secretarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de Inquisitione in Hispania a rege Philippo vetita et de successibus atque incrementis religionis reformatae in Anglia et urbibus Galliae maritimis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps.

Nudius tertius allatae sunt mihi Tubinga literae, quibus significatum est mihi in Hispania motus maximos excitatos fuisse ob doctrinae coelestis susceptionem. Multi enim magni nominis Principes urbesque integrae nomen dederunt Christo Domino. Quae tumultuantibus satellitibus Antichristi Philippum, Principibus consentientibus, suppliciter rogarunt, ut furiosorum hominum comprimeret iras, alioquin necessario se cogi vim eorum cohibere. Rex itaque, ex consilio suorum, omnino vetuit pontificiis inquisitiones fieri nomine religionis etc. Anglia etiam, impia Maria mortua, cum nova Regina[1] Evangelio aeterno se subiecit, papatum eliminavit, exules pios omnes revocavit etc. Urbes etiam maritimae, ad oram maris Anglici pertingentes, ditionis Gallorum Regis, Evangelio suscepto monarcham suum rogarunt, ne religionis ergo facesseretur illis negotium, se autem omnem debitam fidem, subiectionem ac observantiam illi abunde praestituros. Id si illis denegaretur, professi sunt se ad Angliae piam Reginam defecturos. Nos supliciter rogemus Dominum, ut Regni sui pomeria in omnes etiam abditissimos orbis angulos dilatet. Caetera temporis angustia (nam Quiatkovius hodie noctu profunda ad me venit et summo mane discedit) et aegritudo mea miseranda prosequi calamo non patitur. Res autem sunt magni ponderis et seriae, quae diligentia et viribus animi indigent etc. Datum in Parva Cazimirza, 1559, Aprilis 23, hora noctis quinta.

Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
servus perpetuus
Stanislaus Luthomirski aeger, Sacrae
Regiae Maiestatis Secretarius subscripsit.

Utinam Quiatkovius Illustrissimae Celsitudini Vestrae fide et diligentia sua sese commendet, ut accisae fortunae eius medelam ex clementia amplissima Celsitudinis Vestrae hauriant etc.

1) *Elisabetha.*

N. 1694.

*Iwanowice, 7.V.1559.*

*Martinus Zborowski, palatinus Posnaniensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*in causa Iacobi Villen, civis Regiomontani, qui questus est, quod Israel, Iudaeus Posnaniensis, ei pannum non bonum vendidisset, respondet se libenter iustitiam facturum, sed Iudaeo nunc absente se nihil constituere posse; exspectandum ergo esse Iudaei ex nundinis Lublinensibus reditum.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

N. 1695.

*Cracoviae, 15.V.1559.*

*Stanislaus Warszewicki*
*Alberto in Prussia duci*
*officia et servitia sua offert.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

N. 1696.

*Wojniłów, 1.VI.1559.*

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*milites mercenarios et officia sua militaria in bello Livonico duci offert.*

*Vest. sigilli. Autogr.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime ac Potentissime Princeps *etc.*

Illustrissime ac Potentissime Princeps, Domine, Domine michi Clementissime. Quandoquidem a multis annis meis his erat totus tantusque conatus meus innataque voluntas mea, uti Illustrissime ac Potentissime Principali Vestre Dominacioni totus sim, quisquis sim, qualis quantusve possim esse in meo parvo posse, ad iussa mandataque Illustrissime ac Potentissime Spectabilisque Principatus Illustritatis Vestre, salva integraque fide mea in Serenissimum Principem, Dominum, Dominum Regem Poloniae, Principem ac Dominum nostrum clementissimum, nunc itaque delatis huc ad nos rumoribus de Livonicis depopulacionibus, casibus infelicibusque eventibus, Sacramque Regiam Maiestatem, Dominum nostrum clementissimum, res Livonicas in suam tutellam ac defensam iam revera suscepisse, condignum michi putavi significandum Illustrissime ac Spectabili Potentissimeque Magnificenciae Vestre, si viris fortibus ac bellicosis millitibusque exercitatis ac iam pridem expertis res illa bellica indigeat, eos esse viros michi iunctos amiciciae vere fidelisque officiis, quum huc in Polonia plurimos, tum itidem ad

aulam Serenissime Maiestatis Reginalis Isabelle Reginae Ungariae ac Serenissimi Principis, Domini, Domini Ioannis Sigismundi, filii ipsius Maiestatis, uti Ungaros, Sclavos, Serbos Bosnasque, nostros autem multos ut[a] nunc pretermittam nec comendem fideles ac bellicosos expertosque Polonos. Qui si forte fortuna quevispiam[z] tulerit, belli me ducem sibi, non quidem Ducem, ut revera me esse eum, quod absit, existimere,[z] verum in has partes harum regionum atque in illas, ubi bella ac eventus exposcerent, sibi cuperent esse pervium, non committerem.[b] Quare, Illustrissime ac Potentissime Princeps, hoc erit Illustrissime ac Potentissime Magnificentiae Vestre in me magnificum ac munificum opus, ut si forte[c] in quibusvis negociis meis presentem esse ac meorum officiorum opus esse sciat, michi significandum.[d] Me autem[a] nequaquam, quoadusque vires vitaque mea tulerit, deffuturum esse sciat. Et quia multas litteras commendatorias a Illustrissima ac Potentissima Principali Dominacione Vestra iam pridem habui ad Sacram Illustrissimam Maiestatem Regiam, Dominum Dominum suum clementissimum, nunc eo melius, quum Suam presente Illustrem Magnificentiam Vestram adesse Maiestati Serenissime esse cognovi, magnopere rogo, quattinus dignaretur non deesse suis clementissimis commendacionibus michi apud Sacram ac Serenissimam Maiestatem Regiam[e] in gratiam Vestre Illustrissime Dominacionis.

Ego vero tantis cumulatus beneficiis a Illustrissima ac Potentissima Dominacione Vestra, conabor reservire sanguine vitaque mea. Monetam veterem, quantum habere potui, Illustrissime ac Potentissime Dominacioni Vestre mitto.

Cum his me ac humilima servicia mea commendo in gratiam Vestre Illustrissime ac Magnifice Dominacionis Vestre.[z] Datum in Wonylow, I die mensis Iunii, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono.

Vestre Illustrissime Dominacionis
servitor minimus
Procopius a Sieniawa, Dapiffer Leopoliensis.

a) *supra lineam.*
b) *verba*: non committerem *suprascripta.*
c) *verba*: ut si forte *suprascripta.*
d) *verba*: michi significandum *in margine addita.*
e) *sequitur verbum expunctum.*
z) *sic in ms.*

## *N. 1697.*

*Szawkiany, 7.VI.1559.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis et capitaneus Samogitiae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit, ut dux presbyterum Nicolaum ab ecclesia, cui in Ducatu Prussiae praeerat, liberum faciat et ad se dimittat.*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Scripseram ad Vestram Illustrissimam Celsitudinem iam pridem elapsis temporibus de isto sacrifico Nicolao, humiliter postulans, ut

Vestra Illustrissima Celsitudo ex sua erga me singulari clementia illum ab ecclesia, cui in Ducatu Vestrae Illustrissimae Celsitudinis praeerat, clementer dimittere dignaretur, et hoc propter causam legitimam, quam Vestrae Illustrissimae Celsitudini prioribus scriptis meis significavi. Ad quas quidem nullum responsum a Vestra Illustrissima Celsitudine obtinui. Hiis itaque iterum atque iterum a Vestra Illustrissima Celsitudine suppliciter contendo, ut Vestra Illustrissima Celsitudo hunc ipsum sacrificum liberum ab illa ecclesia liberum[z)] facere dignaretur ac clementer dimittere, quo ille securus ad me redire possit, ad ecclesiam per me illi in bonis meis concessam, propter obeundum ministerium Verbi divini, quod in hac Samogitica provincia nativa sua lingua commodius predicare poterit. Si quid autem causae sit, cur apud Vestram Illustrissimam Celsitudinem detineatur, mihi Vestra Illustrissima Celsitudo significare dignetur... Datum in bonis Schavkiany, septima die mensis Iunii, anno Domini MDLIX.

Eiusdem Celsitudinis Vestrae Illustrissimae
obsequentissimus servitor
Hieronymus Chodkiewicz, Castellanus Trocensis
et Samogitiae Capitaneus Generalis, Plotellensis,
Vilkiensis Telsensisque Tenutarius.

z) *sic in ms.*

*N. 1698.*

*Sieprc, 9.VI.1559.*

*Elisabetha de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis, et Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*intercessionem ducis implorant in causa ipsarum, cum Alberto Finck, ducis subdito, de bonis hereditariis Mielno habita.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1699.*

*Cnissini, 24.VI.1559.*

*Petrus Chwalczewski, capitaneus Cnissinensis*
*Georgio a Krösten, capitaneo Lecensi,*
*de quodam Georgio, fure et nebulone, qui in silvis regiis feras furando magna damna intulit, et uxorem suam primum graviter percussit, deinde in lacu demergere voluit.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Wyelmozny Panie *etc.*

Raczil myi W.M. w thym zędacz, abym W.M. dal pewną sprawę o thym tho Jurku, kthory theras yest przed W.M. y zoną swoyą. Tedy ya tho W.M. o nym oznaymuię, czego dobrze yest swyadom, ys on

yest wielky zlodziey a skodcza K.Iego M.czi. Abowyem, za slawney pamyęczi K.Iego M.czi nyebosczika Sigmonta, myeskal w pusczy K.I.M.czi, gdzie nyemalą skodę we zwierzu w pusczi[a] uczinil, ysz yusz Krol Iego M.cz nyebosczik Sigmunt, nyechczacz mu tego tak wielie czierpiecz, zeslacz byl raczil, aby go poymacz mogly, wyedzacz pewnie, ys byl tak wyelky skodnik zwierza Kro. Iego M.czi. Alye ze sie byl w thym dobrze obaczil y opatrzil, zastacz go nye mogly. Pothym po smyerczi Kro. Iego M.czy, Krolyewa Iey M.cz stara,[1] gdy trzimala Knyssyn, wyedzacz thes tho dostathecznie, ze yest tak wyelky zlodziey a skodcza nyemaly w zwierzu w pusczi pinski, thes byla raczila zeslacz przipatruyacz go, aby byl poyman y prziwyedzon dlya zaplathy swe, o ktora sie staral, thes go nygdy zastacz nye mogly.

Krol Iego M.cz pan nas takze thes tego zlodzieya wyeczy czierpyecz nye chczal, o ktorym thes dostatecznye wyedzial. Roskazal, aby byl poyman y obyesson wedlye zaslugi yego, ktorego nygdy zastacz nye możono. A gdym Augusthę myastho w pusczy K.Iego M.czi zassadzil, wkradl sie do myasta nyeznacznie, a tham myalem urzednika lotra podczywego,[z] kthory mu tego lothrowstwa pomagal y then tho moy urzednik s Fiedorem nyeyakym przekrzczily go ssobye gwoly, uczinyli z Yurka Wocziecha, chczacz, aby byl nye poznan od thich, kthorzi go dobrze znaly, albo o nym slychaly, ys tak byl dobrze slawnym. Tam gdy myeskal kilka czassow w Augusczie, trafilo się do tego, ys stlukl zonę swoyę, kthora przisla do mnye na nyego skarzicz. On nye czekayacz nycz, ucziekl wnethze do Grodna, tham thes nyedlugo uyechal. Alye przissedl do karczmy, kthora yest w pusczi K.Iego M. za rzeką Miethą, y slal do zony swoyey, aby przisla do niego, prossacz gy. Ona gdy do niego przisla, sedl s nyą pothym y chczal yą w yezierze uthopicz y ynsse morderstwa nye malo tedy gy czynyl, dlya tego ys o nym powyedzala. Alye ribythwy, kthorych on nye obaczil, byly nyedalieko y wneth ze ya rathowaly etc. Strzegacz sie yusz tego, abym go yus kędy przisdybawssy obyessicz nie dal, staral sie wneth ze o lysthy takowe, yakie on przed W.M. ukazuie albo ukaze, y dano mu lysthy na dwye wlocze wolne, as nych slusba, bycz strzelczem K.Iego M., na ktorych lysczíech ymyę yego wlassne odmyenily czy panowye, kthorzi mu o the lysthy sie staraly, y yus nye pyssaly Iurek alye Woczyech, o czym thes krolyewy Iego M. nycz pewnie nye powyedziano, aby myal bycz then tho Iurek, ktory byl u niego slawnym. Alye tho mozes W.M. dobrze wyedziecz, ys u nas o lysthy takowe nye trudno, yakych w kanczelyaryey u Krolya Iego M.czi ktho[b] potrzebuye. Ia tho W.M. za pewne oznaymuyę y ynaczey o nym powvyedziecz nye mogę, yeno ys yesth zlodziey a skodnyk zwyerzu w pusczi Kro.Iego M. y Xyazeczia iego pruskyego; tho yest rzecz pewna, aby byl myal wyedziecz Yego K.Mcz o nim dobrze,[c] nye thilko, zeby mu thi lysthy byl myal dacz, alye rychley by go byla subyenycza podkala, anys lysth, bo yest yawny zlodziey. A gdyby sam myal do mnye prziscz s thymy lysthy, yus bym ya na yego lysth nye patrzil, alye wneth ze by byl na subyenyczy. Inakssy W.M. wyadomosczy dacz nye mogę, yeno taka yakbym dobrze yest swyadom etc.

Moy laskawy Panie Starosta, prosilem sam pana woyta Raygroczkiego, aby my tkacza ziednal dobrego rzemyislnyka y przywyosl sam

do mnye do Knyssyny, a thak ya W.M. prossę, aby byl dobrowolnye przepusczon, a ya W.M. the laskę zadzialywacz wedlye roskazania W.M. będę etc...

Dan w Knyssynye 24 Iuny anno Domini 1559.

W.M. powolny przyacziel y sluga

Piothr Chwalczewsky
pothkomorzi Kalisky
starosta Knyssynsky

a) *sequitur verbum* prusky, *expunctum*.
b) *additum in margine*.
c) *verba* o nim dobrze *superascripta*.
1) *Bona*.

*In dorso:* Wyelmoznemu Panu Panu Irzemu Kreselie, starosczie Leczkiemu, panu y prziacziełiowy memu laskawemu.

*N. 1700.*

*Szawkiany, 25.VI.1559.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis et capitaneus Samogitiae generalis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de profugis Samogitis restituendis.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1701.*

*Vilnae, 28.VI.1559.*

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Augustino Damerau (in ms. Domeran), cive Caunensi, ut ei cum Benedicto Bine (Byne), cive Regiomontano, iustitia administretur.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1702.*

*Szawkiany, 6.VII.1559.*

*Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Trocensis, capitaneus Samogitiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut subditi quidam (duo mares et duae feminae) Augustini Petraszewicz, Samogitae, qui multis rebus furto ablatis in Ducatum Prussiae profugerunt ibique latitant, quaerantur et restituantur.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1703.*

*Poltoviae, 10.VII.1559.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de tempore et loco conventus commissariorum in negotio regundorum finium inter Ducatus Masoviae et Prussiae.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1704.*

*Kurtowiany, 20.VII.1559.*

*Stanislaus Skaszewski, capitaneus Iurborgensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de regis Vilnam ingressu nuntiat: intercessionem ducis apud regem implorat, ut aliquot mansos terrae in districtu Berzanensi consequi possit.*

*(Schedula adiuncta)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1705.*

*Grodzisko, 26.VII.1559.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio matrimonii neptis Ioannis Kurzbach, decani Gnesnensis; de desiderio suo ducem invisendi; de usufructu aliquarum possessionum a duce sibi concedendo; mittit « modum et rationem eligendi regis ».*

*(Schedula adiuncta)*

*Sigill.*

*(Annexa: I. praescripta tempore Interregni observanda; II. de saeculari iurisdictione episcoporum reicienda; III. formula iuramenti episcoporum)*

*Iam ed. sine annexis: Wotschke, Stanislaus Ostrorog, suppl. X.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Redditis Reverendo Domino Korsbok [1] literis, id cum eo egi et quidem diligenter, quod me Illustrissima Celsitudo Vestra agere voluit. Is tametsi Illustrissimam Celsitudinem Vestram, quanti sane aequi est, faciat sibique et suis omni genere studii atque obsequii demereri et devincire imprimis cupiat, cum alia nonnulla animo expendens, tum

beneficiorum in fratrem suum[2] per Illustrissimam Celsitudinem Vestram collatorum memor, tamen summo se dolore non affici solum, sed propemodum confici questus est, quod eiusdem fratris sui filia et iam antea, sciente quidem se, sed tamen invito et repugnante, in matrimonium collocata fuerit. Et nunc iterum de aliis eius nupciis praeter voluntatem suam statui coeptum esse arbitretur. Petique summa animi demissione, ut, quoad integrum est, Illustrissima Celsitudo Vestra totam hanc de ea denuo elocanda cogitationem differat et protrahat, ut interim ille ea de re cum consanguineis et amicis conferat et deliberet Illustrissimaeque Celsitudini Vestrae suam et suorum sentenciam per literas aperiat.

Quod ad me attinet, equidem is sum, qui Illustrissimae Celsitudini Vestrae et Illustrissimo eius filio non ex intervallo solum neque eminus, sed praesens atque assidue totis viribus, quantulaecunque eae sint, deservire optatissimoque eius conspectu frui percupiam, utque se mihi expeditior ad id faciendum via et ratio aperiat, aliquid in ditionibus illius possessionum adipisci statui. Tamen quoniam interea, dum ab Illustrissima Celsitudine Vestra reverterer, Cracoviensem provinciam pestis invasit, omnino mihi cum iis, quibuscum illic de pecunia agere coeperam, omnis agendi, immo, ut ita dicam, concludendi ratio et facultas praeclusa est. Quam primum autem tuto potero, in eo ipso curando et perficiendo studiosissime pergam. Quoniam vero Illustrissime Celsitudini Vestrae supplicavi, si forte pecuniam tam brevi temporis spacio conficere non possem, ut interim tamen Illustrissima Celsitudo Vestra aliquarum mihi suarum possessionum usum fructum (ea potissimum de causa, ut ipsi et Illustrissimo eius filio expeditior ac magis assidue deservire possem) certo et aequo censu ac precio permitteret. Idque ego me ab Illustrissima Celsitudine Vestra (propter liberale eius responsum) impetraturum confidam. Quicquid autem Illustrissima Celsitudo Vestra in me beneficii et liberalitatis contulerit, in famulum fidelissimum et sui observantissimum collatum iri plane confidat.

Tentorii sive castrorum exemplar et formam, per sartorem meum confectam et paratam, Illustrissima Celsitudo Vestra sciat, quam libenter nunc misissem, verum iis pedes nullo modo perferre posset. Attamen quam primum currum aliquem nactus fuero, absque ulla mora Illustrissimae Celsitudini Vestrae mittam. Itemque Prognosticon cuiusdam depictum, quod horum postremorum temporum statum quodammodo praedicere videtur, Illustrissimae Celsitudini Vestrae mitto, non ut hoc ipsum, quod nihili est, sed ut animus meus aestimetur. Cui iterum atque iterum, quisquis sum et quicquid possum, summa animi et voluntatis propensione defero. Datum Grodzisko, XXV Iulii, anno 1559.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
fidissimus servitor

Nihil, Illustrissime Princeps, dubito Celsitudinem Vestram petitionis meae confidentiaeque de clementia in me Celsitudinis Vestrae rationem habituram. Mitto etiam Illustrissimae Celsitudini Vestrae de modo et ratione eligendi Regis per nunccios terrestres in Conventione Generali Regiae Maiestati exhibitae,[z] non secundum morem antiquum, et

hoc hac intentione factum fuit, ut Archiepiscopi non amplius autoritate fieret electio Regis, ut ante fieri fuit consuetum.

Stanislaus ab Ostrorog
manu propria subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
z) *sic in ms.*

1) *Ioannes Korzbok (Kurzbach) Witkowski.*
2) *Alexander.*

*Annexum I: Praescripta tempore Interregni observanda.*

Cum Illustres et Magnifici Domini Senatores Nunciis terrestribus terminationem super privilegium Ludowici Regis scriptam obtulissent, in qua articulus primus de Regum electione. Quod nimirum necessarium esse censeant, ut ratio inveniretur, qua in posterum Reges Poloniae sine dilatione[a] et distractione Reipublicae eligi possunt, Domini Nuncii rogarunt aliquoties, ut ipsi potius, tanquam Regni Senatores, rationem eiusmodi eligendi Regem invenirent sibique deinde offerent. Sed quoniam Dominis Senatoribus ita visum non est, ut illi priores de ea re aliquid proponerent et id Dominis Nunciis demum excutiendum traderent, Domini Nuncii, iudicio eorum adacti, hanc, quae sequitur, rationem proponunt.

Denunciatio mortis regiae, quae ut nobis diu expectanda sit, precamur.

Quia circa Maiestatem Regiam Regni officiales, aut cum alibi, quam in Regno, Maiestati eiusdem commorari contingit, curiae officiales vel aulicos genere Polonos versari oportet, itaque tempore mortis regiae Regni officiales aut, si ii absunt, curiae officiales iurati quam ocyssime mortem regiam ad capitaneatus iudiciales omnium Dominorum Regni, die mortis etiam literis inserto, denunciare tenebuntur, cum certi semper sint cubicularii regii in cura fideque Domini Succamerarii regii, per quos id sine mora vel eodem die, si fieri possit, vel ad summum postridie eius diei, significari poterit, cum etiam Thesaurarii curiae assidue circa curiam sint, qui pecuniam cubiculariis pro viatico et pro equis, ne quid podwoda eos remoretur, conducendis praebebunt. Quod si cubiculariorum id temporis copia non esset, per alios quoscunque denunciare id licebit. Potestatem hanc denunciandi etiam habebunt aulici primarii natione Poloni, si eveniret, ut officiales iurati a curia abessent.

Et utrique, tam officiales quam aulici, eodem ad hoc munus exequendum sacramento fidei obstricti esse debent, fidesque eadem denunciationi eorum adhibenda est.

Sic et ad dominia Lithwanensia officiales Lithwanenses denunciare tenebuntur.

Cubicularii absque omni mora literas huiusmodi fideliter reddere debebunt.

Quicunque autem cubicularium eiusmodi remoratus fuerit, pro hoste patriae habendus est.

Illi ipsi[b] officiales et aulici, quemadmodum corporis exanimi custodes esse debent, ita diligenter praecavere et providere tenebuntur, ne mors regia per aliquem ad regiones externas evulgetur.

Capitanei, Vicecapitanei et officia eorum, simulatque denunciatio talis ad eos pervenerit, sub officiorum honorumque suorum amissione literis suis per modum restium universis incolis capitaneatus illius palam facere tenebuntur, die etiam mortis regiae[c] una cum die eo, quo per cubicularium denunciatum sibi est, in[d] iis expresso, qui

quidem dies[e] nomenque cubicularii illius et literae in acta introducentur,[f] quo fidelitas cubiculariorum et diligentia eorum, qui morti Regis intererunt, perspici possit.

Postea in oppidis singulis haec omnia[g] publicanda curabunt, ut omnibus statibus mors regia innotescat.

Quisquis autem literas huiusmodi impediverit seu retinuerit, quae pro restium literis habebuntur, puniatur.

Palatini, morte regia audita, ilico ipsi quam ocyssime locos[h] conventibus particularibus competentes[i] petere debebunt in[j] dominiis omnibus Regni Poloniae, Lithwaniae, Russiae, Silesiae.

Castellani similiter eosdem locos adire tenebuntur, statusque alii ad conventus pertinentes.

Nobilium quisque pro sua persona, ut[k] primum mors regia publicata et denunciata fuerit, in locum conventus particularis se conferet, idque ad tempus praescriptum, quod assequetur facile, siquidem ex literis Capitanei diem mortis regiae sciverit.

Tempus profectionis eiusmodi ad locum conventus particularis trium hebdomadarum erit a die mortis regiae exclusive, si Rex in Lithwania mortem oppetiverit, duarum vero, si in Polonia.

Illo postquam convenerint, locus ipsis uno consensu deligendus est ad expeditionem bellicam generalem faciendam in fines palatinatus aut terrae illius, quo loco maxime ingruere necessitas videbitur.

In hoc conventu Palatinus Castellanum primarium in locum suum constituere debet ad regendum exercitum illum, iuxta dispositionem statuti de expeditione bellica. Nobiles quoque in locum Castellanorum aliorum viros idoneos, in re militari exercitatos, ad gubernandum et ordinandum expeditionem illam eligent et deputabunt. Quibus deputatis conventus praesens authoritatem confert cum incolis omnibus palatinatus[l] seu terrae illius ad locum delectum proficiscendi curamque, uti Castellani ipsi, sustinendi.

His sic constitutis, Palatinus cum Castellanis aliis discedere debet. Nobiles autem nuncios ad Conventum Generalem causa electionis Regis celebrandi eligent, quorum nunciorum quadruplo plures sint, quam in aliis Comiciis esse solent.

In nuncios non sunt eligendi Palatini, Castellani nec Capitanei, in limitibus Regni arcibus praesidentes, neque eorum ullus, qui tempore Interregni e regionibus externis rediret, licet sit Polonus.

Nuncii electi e vestigio ad Conventum Generalem proficiscentur, ne tardius, quam tempus praescriptum postulat, adsint. Nobiles autem cum exercitu ad locum[m] palatinatus seu terrae illius in confinio positum, a se delectum, proficiscentur.

Castellanus autem seu deputatus in exercitu ducendo iuxta dispositionem statuti de expeditione bellica se geret locumque commodiorem in palatinatu illo, ubi exercitus ille consideat, eliget, ut non in eodem loco universus exercitus maneat, locorum commoditate ubique observata.

Exercitus vero ille ex palatinatu suo, nisi ex denunctiatione Conventus Generalis, non discedet.

Nuncii, ad Conventum Generalem electi, a fratribus personam ad electionem regiam nominatim designatam, quae eis inter alios proponenda sit, eamque sub nobilium sigillo habeant non idcirco, ut iam ab ea discedendum eis non sit, si aliis universis persona alia magis

probaretur, verum ut eis communis omnium intentio nota sit, utque sic omnium libera electio compareat.

Locus Comitiorum Generalium ad electionem novi Regis dominiis omnibus - Petrikowia.

Tempus Comitiorum Generalium - duae hebdomadae post conventus particulares.

Comitatus Dominorum et Nunciorum ad Comicia Generalia.

Ad locum Conventui Generali assignatum nullus proficisci debet armatus, neque cum pixidibus, et saltem cum comitatu, qui sequitur, praescripto.

Palatinus quilibet plures personas quam viginti non habeat. Similiter et Archiepiscopus et Episcopus quilibet personas viginti.

Castellanus quilibet non plures quam decem personas, tam Poloni, Prutenici, Lithwanici quam Silesitici.

Nunciorum autem quilibet sex tantummodo personas habeat. Et praeter has personas, sub poena nominationis hostis patriae, nemini Piotrikowiam est veniendum, neque ullus praetextus eo veniendi, etiamsi summa necessitas urgeat, a quopiam capiendus.

Ibi in Conventu Generali, quemadmodum omnium vota libera esse debent, sic votorum omnium, tam Dominorum quam Nunciorum, idem pondus erit, ut alterum altero plus non valeat. Marschalci iuxta onus et debitum suum, in statutis descriptum, in ordine et honestate conservanda diligentiam adhibebunt.

Capitaneorum in limitibus Regni arcibus praesidentium, ut quisque fines capitaneatus sui stationibus exploratoribusque providere teneatur, ad alterum usque sibi confinem capitaneatum, de periculisque omnibus atque etiam de necessitatibus, quae ad eius[n)] noticiam pervenerint, Conventum Generalem certiorem faciat. Singuli etiam praesentes et personaliter arcibus sibi commissis praesint.

Capitanei alii arcibus et civitatibus praesidio et apparatu omni affatim prospicere debebunt.

In arce Cracoviensi tempore Interregni continui esse debebunt Thesaurarius Regni, Capitaneus Cracoviensis, Gubernator Magnus, Tribunus terrestris, et e Polonia Maiori Palatinus Brzestensis, Castellanus Gnesnensis, Burgrabii omnes. Ibique simul necessitates loci illius providere omniaque negocia, quae in civitate gerentur, diligenter observare. Inprimis autem Coronae, Thesauri Regni templique diligentes custodes erunt, ne tempore Interregni inde auferatur aliquid. Cives Cracovienses ut sub obedientia sint Dominorum eorum, qui arci praesidebunt.

Consules Cracovienses ut tam Regno quam Regi in posterum semper iurent. Et ii, qui nunc sunt, iuramenta sua redintegrare debebunt. Soli etenim regiae personae iurare solent, itaque tempore Interregni obedientiam detrectare possint.

Atque in posterum non nisi Poloni semper eligendi sunt, quorum si tantus numerus non esset, pars maior tamen ut semper sit Polonorum, quam Germanorum. Ad eundem modum et in aliis civitatibus omnibus, et Gedani quoque.

Nulli mercatores e Regno emittendi sunt, nec etiam in Regnum intromittendi, sive soli sive cum mercibus, sub capitis poena.

Terra ut sit clausa.

Militibus, statim post mortis regiae publicationem, ut stipendia nulla procedant, imo tam Regni quam campi exercituum Capitaneus Gene-

ralis centurionibus edicet, ut cohortes dimittant, et miles quilibet ad palatinatum suum sistere se tenebitur.

Neque militum ullus, neque alius quispiam, stipendia faciens, tempore Interregni e Regno exeat, etiamsi sit alienigena.

Nemo quoque, tam regnicolarum quam extraneorum quoruncunque, pecuniam ad servitium militare recipere debebit, nec etiam Dominos ad electionem pertinentes sequi. Et haec omnia sub poena infamiae, a qua ne Rex quidem electus absolvendi habebit facultatem.

Ibi in Conventu Generali existentium, tam Dominorum quam Nunciorum ullus, aut extraneas, aut domesticas, aut ab exercitu missas litteras, nisi publice in coetu omnium ad electionem pertinentium, accipere non debebit. Nullas etiam litteras ad exteras regiones aut ad exercitum mittere audebit ob novas res moliendi suspitionem, sub poena infamiae, hostis patriae, ut supra. Quam quidem rem Capitanei in limitibus Regni arcibus praesidentes curae habebunt, et si quem cum litteris reciperent, una cum litteris ad locum Conventus eum remittent. Ubi si in eiusmodi quopiam aliquis depraehensus fuerit, omnes in eum insurgere debebunt, sub poena captur.

Nobiles itidem ab exercitibus, si quid opus esset, significare id aliter, quam publice, ad locum Conventus non debebunt, ut nuncios mittere, mandata dare[o] et nihil omnino privatim ad quenquam scribere.

Quicquid autem de Regno Poloniae statuimus, id universum de omnibus dominiis, ad Regnum pertinentibus, veluti de Silesia et Prussia, intellectum volumus.

Quare in provisione civitatum et arcium in Prussia negligentia nulla sit, Gedani praesertim, ubi etiam aulam regiam esse iuxta privilegium volumus Capitaneumque Polonum. Consules civesque Gedanenses Regi Regnique Poloniae Reipublicae simul iurent. Simili modo et alii.

Conventus Generalis, Rege iam electo, Nuncios ad eundem Electum nominatim designabit e medio sui, tam ex Dominis quam ex nobilibus, si forte longius aberit.

Atque Rex Electus primum ad exercitum denunciabitur, postea ad capitaneatus iudiciales, ut per omnes districtus Electus publicetur et declaretur.

Tum si Conventus periculi nihil esse cerneret, exercitibus ut domum se conferant, significabit, sic ut nihilominus tamen in domibus suis sint in procinctu.

Conventui huic tempus coronationis praestituere licebit, temporis eius ratione habita, intra quod persona electa advenire possit, quae coronanda non est, nisi prius[p] iuramentum praestiterit, antequam Cracoviam[r] deducatur, in praesentia Conventus huius Generalis.

Rex etiam, ut primum coronatus fuerit, Comitia haec continuare tenebitur, iura et privilegia in executionem reponere, iudicia sua regalia absolvere, aliorumque negotiorum, Regi Poloniae incumbentium, curam suscipere.

Nuncii, qui ad Regem adducendum missi fuerint, suscipere eundem omnium nomine debebunt.

Constitutio, quaecunque circa electionem hanc effectum sortita fuerit, per Nuncios Regni, qui hic ad hoc electi fuerint, in Lithwaniam ad Conventum proximum deferri debebit. In Prussia vero et Ducatibus Slesiae, ad Regnum spectantibus, vigore constitutionum publicarum publicanda est. Consensus autem hic in expeditionem generalem, quoad

eum electionis actum solummodo valebit, sed extra actum hunc iuribus communibus praeiudicatum esse non debet.

*In dorso:* De novo modo eligendi Regis.

a) *correctum ex*: dubitatione
b) *sequitur expunctum*: aulici
c) *sequitur expunctum*: in iis expresso
d) *sequitur expunctum*: litteris
e) *correctum ex*: quem quidem diem
f) *sequitur expunctum*: curabunt
g) *supra lineam.*
h) *correctum ex*: locorum
i) *correctum ex*: competentem
j) *sequitur expunctum*: Regni Poloniae
k) *suprascriptum pro expuncto*: cum
l) *sequitur expunctum*: eius
m) *sequitur expunctum*: in conf
n) *suprascriptum pro expuncto*: eorum
o) *correctum ex*: exequi
p) *sequitur expunctum*: conventus huius generalis praesentis
r) *sequitur expunctum*: fuerit deductus
1) *Ludovicus rex Pol. et Hung.*

*Annexum II: De saeculari iurisdictione episcoporum reicienda.*

A Nunciis terrestribus Regiae Maiestati exhibitum in praeteritis Comiciis.

Reverendi Domini Clerici iam longo tempore atque etiamnum exercent in nos iurisdictionem suam, quam sibimet ipsi in nos sumpserunt privata authoritate, abutentes facilitate nostra, et a iure nostro Regni [a] ad suum forum nos vi abripiunt. Non gerunt magistratum sibi a Serenissimo Rege, Domino nostro clementissimo, commissum, sed Dominos nostros absolute agunt. Tametsi autem clara sunt testimonia, quod maiores nostri conabantur sese ab illorum iurisdictionibus vindicare iugumque ab eis impositum exuere, nihilominus tamen, falsa opinione sanctimoniae divitiarumque potentia adducti, ferre eos coacti sunt. Saepenumero maioribus nostris cum illis negotium fuit, sicut Dlugossius in Chronicis suis refert, quod statim imperante Wladislao Rege Poloniae et Ungariae: inter clericos et nostrum ordinem dissensiones gliscebant. Namque tunc primum, cum in senectute et plane iam in ultima vitae aetate Rex Jagello esset, scripserant sibi in nos edictum litterasque patentes, quas ita in Statutis vocant, quarum praeiudicio litterarum liberius ceperunt maiores nostros suae subiicere iurisdictioni, quemadmodum clare testantur litterae scriptae folio 66 et 75.

Itaque post mortem Jagellonis statim tumultus exorti sunt eoque in statu res fuerunt, ut Concilium Basiliense miserit suos Legatos in Poloniam, qui sedarent turbas inter clerum et equestrem ordinem. Quae tamen nequaquam sedari potuerunt, donec postea confoederatione, quae scripta est in Statutis folio 76, discordia terminata est. Nanque omnes unanimiter subiecerunt se sub unum ius commune terrestre sub fide et honore, et altera pars Regni amplius alterae imperare noluit. Non ignorabant enim maiores nostri id, quod et nos [b] scimus, quod nemo alius in nos imperium habeat praeter Reges ipsos, quodque nullum alium nostrum Dominum debamus agnoscere, nisi Regem solum. Nam id est Dominum esse fateri eum, a quo si cittatus fueris, coram eo te sistas oportet, neque licet, ut ab eo ad Serenissimum Regem provoces, penes quem est summa authoritas, nisi ad quendam illorum Dominum, cuius se iudices et servos esse profitentur.

Testatur etiam ipse Lasky Archiepiscopus in prologo Statutorum, se omnino nescire de ulla sanctione alia praeter eas, quae in Statutis sunt publicatae. Sic enim ait: Tametsi aeraria publica Regni velut antiquitatum domicilia etc., tamen tam ex illis, quam ex sacrarum aedium testimoniis constat non aliam quam Divum olim Adalbertum etc. pri-

mam, sed divinam Regibus et nationibus Polonis sanctionem etc. Boga Rodzycza legitur edidisse. Ex quibus satis etiam illud colligi potest, quod nos nemini, praeterquam Regi ipsi, parebamus, et quod clerici ea in tempestate non iuditia exercebant, sed tantum curam animarum gerebant. Testatur autem Lasky nullam aliam sanctionem fuisse, nisi quam ille vocat divinam, usque ad tempora Boleslai,[1] qui tulit legem, ut christianus cum Iudeo administrationem iusticiae consequi possit. Si illa tempestate Reverendus Dominus Lasky, qui fuit in eodem ordine et statu, in quo nunc sunt Patres Reverendi, ob virtutem et amorem erga Rempublicam, in qua genitus est, cum summa diligentia haec collegit munimenta tam ex publicis, quam ecclesiasticis aerariis, quae ad bonum ordinem et libertatem Reipublicae pertinebant, profecto tantam impietatem erga suum ordinem non ostendisset, ut intermitteret aliquam mentionem facere eius iuris, cui nunc subiiciunt nos Reverendi Patres, et iam tunc quoque eiusmodi angariae in nostros exercebantur. Tamen ille ex innata sibi generosa quadam virtute et conscientiae suae rationem habens, non potuit in animum inducere, ut aliter scriberet, quam veritas exigebat.

Ibidem ulterius sic loquitur: Serenissimi post haec Poloniae Reges non universi, sed tantummodo infrascripti, suas quilibet dederunt Regno sanctiones. Et recenset illos, incipiens a Casimiro Magno usque ad Alexandrum Jagellonidem. Rursum ita scribit: Quae quidem leges hic memoratae vetustiores adeo suppressae fuere, ut duo vel tres aut Barones aut patricii Poloni omnino non fuerint tot candidatas Regni leges scientes etc. Quod cum Praelati Ecclesiae ac Barones, Primates et Principes, necnon nobilitatum universi mirabundi perpenderunt, et nonnunquam in publicis proponerent consiliis, leges ipsas procul dubio fuisse, sed vel per bonorum impotentiam neglectas, vel per malorum temeritatem obliteratas, eas ac universas alias ordinationes perpetuas, ad foelicitatem status publici Reipublicae pertinentes, etiam externas in privilegii Apostolicis ordinariis Ecclesiis et imperialibus, ad optimos tamen christianorum mores scriptas etc., sed nonnullas pro aliis provinciis aeditas, ut sunt leges civiles seu iura Magdeburgensia. Quod quidem ius Magdeburgense etc. Casimirus Magnus fatetur ad utilitatem et profectum regnicolarum Regni Poloniae acceptasse etc. Rursum scribit: Idcirco innata Regis Alexandri pietas, intelligens iura ipsa atque leges Reipublicae, quam communi ac privatae cuiuslibet iusticiae et decuit eas ordine infrascripto colligere. Ex his satis constat, quod licet tunc recensuit alias leges, quas ipse appellavit externas et ecclesiasticas et imperiales, tamen istis adiicere non est ausus, quae cum veritate ac iure communi pugnarent, nimirum non affirmat eas perpetuas ratasque esse atque a nobis in libertatem nostram receptas. Namque si silentio non praeteriit leges[c] Magdeburgenses, sed de illis sic ait, quod Rex eas, quod essent utiles Reipublicae, acceptavit, procul dubio ne illas quidem reticuisset, quae emolumento eius ordini forent. Sed illi satis visum est scripsisse de externis, quas sic vocat, quod sunt quoque scriptae ad optimos christianorum mores, et de Magdeburgensibus, quod eas Rex acceptaverit, sed eas tantum, quae non adversarentur iuri communi. Sed nunc temporis clerici non solum eo contenti non sunt, ut sponte bonos mores ab illis discamus,[d] verum etiam nos cogunt, ut ea servemus iura, quae bonos tollunt mores, videlicet ut fateamur subiectionem nos debere alio atque agnoscamus imperium penes alium esse, quam penes Serenissimum Regem, Dominum et summum Principem nostrum, cui soli parere debemus, aut illis saltem, quorum iuris-

dictioni nos ille legittime subiecerit, sed ea lege et conditione, ut[a] nobis liberum provocandi ius sit ab illorum gravamine ad Regem ipsum.

Itaque cum probari non possit ex Statutis, libertatibus et privilegiis nostris, in quibus nullum extat testimonium, quod nos debeamus illorum subiacere iurisdictioni, multo minus aliquem alium fateri Principem nostrum, quam ipsos Reges. Nam non[a] potest magis confessio exprimi subiectionis aut obedientiae alicui potestati[a] prestandae, quam cum ab eo provocatio non procedit. Tale autem ius sibi Reverendi Patres vendicaverunt. Nos vero nulli alio eiusmodi subiectionem fateri volumus, nisi Regi soli, Domino et Principi nostro.

Quapropter Regiam Maiestatem[e] humiliter precamur, ut nos tandem ex hac angaria eripere velit, nec permittat, ut nobis confugere sit necesse ad illam confoederationem scriptam folio 76, qua universi obligati sumus sub fide et honore deffendere ius nostrum commune terrestre et in destructionem eorum, qui parere ei nolunt, insurgere sub fide et honore, prout illic lacius scriptum extat.

a) *supra lineam.*
b) *supra lineam.*
c) *suprascriptum pro expuncto:* ius
d) *sequitur expunctum:* de
e) *sequitur expunctum:* supplices
1) *Boleslaus Pius, dux Maioris Poloniae.*

*Annexum III: Formula iuramenti episcoporum.*

Sequitur formula recentior iuramenti Episcoporum.

In Dei nomine. Amen.

Ego N., electus N. Episcopus, ab hac hora in antea fidelis ero et obediens Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae et Domino nostro, Domino Hadriano Papae 6, suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio aut[a] consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut nunctios seu litteras, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et autoritatem Romanae Ecclesiae, Domini nostri Papae et successorum praedictorum conservare, deffendere, augere et promovere curabo, nec ero in consilio, in facto seu in tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personarum, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibusdam tractari novero vel procurari, impediam hoc pro posse, et quanto eius potero, commode significabo eidem Domino nostro vel alteri, per quem ad ipsius noticiam possit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sentencias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Hereticos, schismaticos et rebelles Domino nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praeditus[z] fuero canonica praepedicione. Apostolorum limina Romana Curia existente citra singulis annis, ultra vero montes singulis trienniis visitabo aut per me aut per meum Nunctium, nisi apostolica absolver[z] licentia. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infaeudabo, vel aliquo

modo abalienabo, eciam cum consensu capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

*In dorso:* Forma iuramentorum Episcoporum.

a) *suprascriptum pro expuncto:* vel
z) *sic in ms.*

*N. 1706.*

*Cnissini, 28.VII.1559.*

*Petrus Chwalczewski, succamerarius Calissiensis, capitaneus Cnissinensis, Alberto in Prussia duci*
*se diligenter curaturum esse pollicetur, ut homicida, Christophorus Strauchfuss, in ditione sua latitans comprehendatur et duci extradatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Actepi litteras Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, ad 18 diem mensis Iulii Regiomonti datas, quibus mihi Illustrissima Celsitudo Vestra significare dignata est, quendam Christopherum Strauchffus anno superiore nefandum et crudelissimum in Ducatu Illustrissimae Celsitudinis Vestrae homicidium perpetravisse. Subditum enim Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, eumque ex ordine nobilium, ex occultis insidiis invadens, bombardae ictu miserabiliter interemit, eoque non contentus etiam igne et incendiis grassari in Ducatu Illustrissimae Celsitudinis Vestrae ausus est. Quin etiam Capitaneo Illustrissimae Celsitudinis Vestrae Ortelspurgensi hostilia quaeque minitari non veretur. Cum itaque certo ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram relatum esset, hominem illum scelerosum certo esse apud quendam Stanislaum Pęski in Mikiczin, utque latrocinium suum eo commodius celare tuerique possit, nomen sibi Christophero Goblonski[a] indidisse. Requirit itaque a me Illustrissima Celsitudo Vestra, ut ego tranquillitatis publicae et mutui inter Magnum Litwaniae et Prussiae Ducatum initi item et constituti foederis pactique memor, dictum homicidam Christopherum Strauchffus comprehendi curem.

Illustrissime Princeps, Illustrissima Celsitudo Vestra hoc sibi de me persuasum habeat, me summo studio et diligentia curaturum, ut pro officii mei munere brevi praedictum homicidam aut Illustrissima Celsitudo Vestra, aut officium Capitanei alicuius finitimae arcis Illustrissimae Celsitudinis Vestrae habere queat... Datum Kniszini, 28 Iulii, anno a Christo nato 1559.

Eiusdem Illustrissimae Celsitudinis Vestrae
humilis ac minimus servitor
Petrus Chwalczewski, Succamerarius terrae
Calissiensis, Capitaneus Kniszinensis etc.

a) *prima littera correcta; Jablonski?*

*N. 1707.*

*Augustae, 5.VIII.1559.*

*Ferdinandus I imperator*
*Valentino Protasewicz, episcopo Vilnensi,*
*pro Christophoro Fortenbach (vel Furtenbach), filio Bonaventurae, litibus et controversiis, praesertim contra heredes Conradi Knopff, in Regno Poloniae implicato.*

*Sigill., orig.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1708.*

*Grodzisko, 7.VIII.1559.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*de non acceptis in Ducatu Prussiae aliquibus bonis dolet; conventum ministrorum Elbingae celebrari non posse nuntiat; de gratitudine viduae Eustathii Trepka refert.*
*Vest. sigilli.*

*Iam ed.: Wotschke, Stanislaus Ostrorog, suppl. XII.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Quemadmodum et sperabam et laetabar magnopere occasionem et commoditatem mihi datum iri non ex intervallo locorum, sed coram ac saepius Illustrissimae Celsitudini Vestrae obsequendi, si aliqua in Ducatu Prussiae bona, vel certo precio empta, vel usufructu illorum ad tempus pro aequa pensione adepto, possidenda accepissem, qua de re ipsa Celsitudo Vestra Illustrissima aliquam mihi praesenti spem facere visa est, ita, posteaquam intellexi neutrum eorum, quae sperabam, hoc tempore fieri posse, sane non mediocri dolore affectus sum, non quo de summa commodorum meorum quippiam decessisse arbitrer, qui ad honestam vitae conditionem sustentandam, Dei beneficio, necessaria cumulate suppeditata habeam, sed quod ea Illustrissimae Celsitudini Vestrae saepius deserviendi occasio et opportunitas, quam studiose et quidem a multo tempore consectabar, quamque mihi oblatam propemodum iam esse putabam, tota fere sublata esse videatur. Et magis id quidem dolerem, si malevoli cuiuspiam et gratiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae mihi invidentis consilio et culpa factum esset. Utut autem res est, ego, ut me facturum semper offerebam, tametsi tam commode fortassis non potero, nam neque praesens neque tam assidue, tamen quantum in me erit et quantum potero, ad omnes Illustrissimae Celsitudini Vestrae deserviendi occasiones summa voluntate propendebo, quam et ipsam mihi, uti est, ita fore semper faventem et propitiam plane confido.

Quod ad conventum ministrorum Ecclesiae Elbingae agendum attinet, video eo illos convenire non posse, nam et longius distat et regia civitas est, quae vel si maxime veram religionem amplecti voluerit, non ausura tamen sit concionatores nostros contra regia vel potius Ponti-

ficum edicta hospicio accipere. Itaque cum Illustrissimae Celsitudini Vestrae locus a me nominatus aptus esse non videatur, alia erit eius conventus expectanda occasio. Reverendum Dominum a Lasko scio eo neque venturum fuisse, ut veniat, expedire. Is enim in sua sentencia ita perstat, ut non duci, sed ducere velit.

Eustachii Trepcae uxor [1] Illustrissimae Celsitudini Vestrae summas (uti debet) gratias agit et habere nunquam desinet, quod sibi et pecuniam ab Illustrissima Celsitudine Vestra in summa sua et orbitate et penuria liberaliter missam videat, et filio suo commodam vitae in litteris agendae facultatem ab eadem Illustrissima Celsitudine Vestra benigne promissam intelligat. Agnoscit ea iure non solum Illustrissimae Celsitudinis Vestrae, sed Dei ipsius beneficium, qui etiam Illustrissimae Celsitudinis Vestrae liberalitatem non in maritum ipsius tantum conferri, sed ad se et liberos quoque voluit propagari. Currum ab Illustrissima Celsitudine Vestra eo potissimum nomine expecto, quod sit futurus (uti ipsa voluit) eius in me liberalitatis quotidianum pignus et monimentum. Cui iterum atque iterum me totum, quisquis sum et quicquid possum, et obsequendi studium ex animo defero. Datum Grodzisko, 7 Augusti, anno 1559.

[a] Vestrae Illustrissimae Celsitudinis
addictissimus servitor
Stanislaus ab Ostrorog manu propria
subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*
1) *Anna.*

*N. 1709.*

*Vilnae, 11.VIII.1559.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus ac notarius regius,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio, sibi a duce commendato, ex litteris regis ducem omnia intellecturum esse nuntiat.*

*Sigill.*

*HBA, B 2, K.390.*

*N. 1710.*

*Poltoviae, 21.VIII.1559.*

*Andreas Noskowski, episcopus Plocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de negotio regundorum finium inter Ducatus Prussiae et Masoviae ob grassantem pestem iterum in aliud tempus differendo.*

*Sigill. Autogr.*

*HBA, B 2, K.390.*

N. 1711.

Vilnae, 26.VIII.1559.

*Nicolaus Łaski*
*Alberto in Prussia duci*
*obsequia offert, pro equo Frisio sibi dono misso gratias agit.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

N. 1712.

Sieprc, 14.IX.1559.

*Ursula de Sieprc Lwowska, castellana Covaliensis, et Elisabetha de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*intercessionem ducis expetunt in causa sua de bonis hereditariis Mielno.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

N. 1713.

Zagórze, 21.IX.1559.

*Procopius Sieniawski, dapifer Leopoliensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de regina Hungariae aegrotante; de palatino Valachiae [Moldaviae?] amicitiam cum duce inire cupiente; de herbis ad usum ducis in Turcia procurandis.*
*Sigill.*
*(Adest versio germanica)*
*H B A, B 2, K.390.*

Nayasneysze myloscyve Xyaze *etc.*

Przythem, Nayasneysze M. Xyaze, W.X.M. osnaymuye, ysz szam sluzebnyk moy s Wegyer przyahal y povyeda, ysz krolova yey M. vegyerska [1] yest barzo hora, y nye thusza yey zyvota. Krol yego M., then s lasky bozey sdrow dobrze y spravuye sye w rzeczah ryczerskyh tak, yako pan pravy barzo dobrze, thak yako na pravego zalyezy. A tak, yakom yest vyernem sluzebnyki[em] Waszy X.Y., thedybym tho rad syoth,[z] aby wsythek swyat sluzyl Vaszey X.I., baczi vyelkych stanow, baczi malyh.

Nayasneysze M.X., gdym yahal s Wegyer, belem u woyevody voloskyego,[2] thedy tham bela rzecz za stolem o W.X.I., Ia, iakom yest sluzebnykyem W.X.I., thedym tho povyadal, czom rozumyal przy wsytkyh panow y radzye i wypythalem go o tho, yesly by myal yako snayomoscz abo zahovanye yakye s wasza X.I., abo pres lyst, abo pres posly. Thedy my na tho othpovyedal, ze zaden yest pamyetnyk, aby bel posel syemye

moldawskey xyazeczya I.M. Thom povyadal, ze wsyscy panovy chrzescyanscy y krolovye pragna thego, aby myely s Vasza X.I. snaymoscz[z] y dobre zahovanye, ynaczey thego nye chcza myecz, yeno yako za oycza a przyasn, gdye y vasey hospodarskey M. przystoy, aby vasza H. M. presz posly, presz lysty swe raczyl nawyedzycz, gdye go tho theras k temu przyvyodlo, yss theras slye dworzanyna swego y posyla przezen W.X.I. dwu konyu, yeden arapskyh kony, drugy zyemye swey voloskey, gdzye thego barzo pragnye, aby myal przyans[z] y dobre zahovanye s Wasza X.I. y pysze do mnye, zeby Wasza X.I. czego by potrzeba, zeby V.X.Iasnoscz osnaymycz raczyl, thedy on gothow dlya V.X.I. uczynycz wsytko, bacz volow, bacz krow stad, thedy tho V.X.I. pres mytha po tho wsytko posylacz chcze y chcze sye V.K.I. themy wsytkyemy potrzebamy zahovacz. Lyst thes tham W.X.I. posylam, s khotrego W.X.I. vyroszumyecz lyepyey bedzyes raczyl, y pysze my thes okolo strzelby, okolo sbroye, okolo syszakow, ysbys W.X.I. dal thego yemu narobycz a on pysze, ys nye chcze nycz darmo, abo pyenyedzy, abo volow, abo[a] czo bedzye volya V.X.I.; thedy poslacz chcze y na kuhnye ialovycz. Pysalem thes do nyego, yesly by mogly takove rzeczy bycz wypusczone s zyemye vasey, on povyada, ze sye chcze staracz o lyst u Iego K.M., a tak, M. Xyaze, yesly bedzye laska V.X.I., gdzyeby thy rzeczy nye mogly bycz pretko sgothovane, a wszakosz bedzye-ly laska V.X.I., thedy V.X.I. racz tho povoly kazacz gothovacz, a on thes nyehay gotuye V.X.I., abo pyenyadze, abo voly czabanskye, abo tho, czo V.X.I. bedzye raczyl roskazacz, bo roskazal do mnye voyevoda volosky, nyechay sye nye vymavya Xyaze I.M. drogoscza; wsytko tho, czo Xyasze Iego M. kaze, tho bedzye dano, a wszakze roskazalem tham sluzebnykyem swem, aby V.X.I. ustnye pres pana Konarskyego povyedzyal V.X.I., prosze tho, czokolvyek tham povye V.X.I., sluzebnyk moy, prosze abys mu V.X.I. we wsem vyara raczyl dacz.

Iako my thes Vasza Xyazeczya Yasnocz pyszacz raczyl o zyola w Turczeh y o thakyego czlovyeka, ktory by sye s tym umyal obhodzycz, thedym czynyl okolo thego pylnoscz vyelka y theras czynye, pyszalem thes do voyevody voloskyego w they rzeczy, ysby sye swey strony staral V.X.I., a tak gdzye yusz V.X.I. bedzyes raczyl s nyem wszyacz snayomoscz y zahovanye dobre, thedy tham yus snadnye V.X.I. wsytko przeydzye, ydno[z] V.X.I. takyego sluzebnyka przyslacz raczyl, ktoryby dobrze snal thy zyola a on chcze kostem swem V.X.I. chcze[z] poslacz, abovyem tho yemu snadnye przeydzy, bo tham ma dwory, slugy y syna na dworze czesarskyem a tak barzo rad V.X.I. w thym posluzy, yakos sye w them hutlyvye okazuye nayasneyse M.Xyaze, tho V.X.I. racz vyedzycz, ys volosky voyevoda, gdy bel w Vegrah sz woyskyem swem, thedy tham czynyl vyelka czesczi Krolovey I.M., Krolovy I.M.[3] takze pylne poslugy. A tak gdy bedzyes V.X.M. raczyl pyszacz lysty do nyego, dzyekuyacz mu za tho, ze okazoval poslugy swe w Vgreh Krolovey Iey M. y krolevyczovy[4] I.M., bom mu tho povyadal,[a] ys yest krolova yest[z] Yey M. povynovatha y krol Yego M. takze V.X.I., a tak on themu bedzye barzo wdzyeczen, gdy Vasza Xazeczya I. bedzyes raczyl pyszacz do nyego lyst, thedy prosze V.X.I., abys my V.X.I. raczyl yemu zalyeczycz, bo my thego yest pylna potrzeba, bo tham thedy sye czesto przeyesdam pres syemye pres yego do Vegyer y theras yahacz musze y w lysczye my w sem pyszal, abyh nykedy nye yahal yeno pres syemye pres yego a ya M.Xyasze thedy uyesdzam do Krolovey Yey M., nadaley za dwye abo za trzy nyedzyely, a yeslyby V.X.I. myal lysty pyszacz do Krolovey Yey M., thedyby dobrze zeby V.X.I. pyszal pres thego mego

sluzebnyka, bo then sluzebnyk moy prosto do Vegyer yedzye za mna, yako pretko przyedzye oth V.X.I....

Dan s Zagorza w dzyen S. Matheusza, anno Domini 1559 nanyssy y vyecznye povynovathy sluzebnyk V.X.I.

Prokop Syenyawsky
stolnyk szyemye Lwowskey
capytan Krolovey I.M.

a) *supra lineam.*
z) *sic in ms.*
1) *Isabella.*
2) *forsitan agitur de palatino Moldaviae, Alexandro Lapušneanu.*
3) *Ioannes Zapolya.*
4) *Ioannes Sigismundus.*

*N. 1714.*

*s.l., s.d.* [*1559*]

*Adrianus Sieleński*
*Alberto in Prussia duci*
*queritur de capitaneis ducis, qui ei profugos cmethones restituere nolunt, et petit, ut sibi iustitia hac in re administretur.*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

Moie laskave a mylosczive Xaze, sdrovia y wsythkiego scescia od Pana Boga y dlugiego panovanya na thym swiecie y swelakiego[z)] szczescya od Pana Boga, viernye a ziclyvie zice thak, yako poddany bedacz Iego Kroliewskiey Myloszczy, thudiez thes ya bedacz na granyczi ziemye Vaszey Xazeciey Mylosczi, vysnavam ssyą bycz sluga V.M. mego mylosczivego Pana.

Przy thym Mylosczive Xaze, przeth Vassą Xiazeca Myloszczia ssyą skarze na stharosthy szamkow Vazzey Xiozecey Myloszczy, ass ony, w they ziemy bądacz pruskiey na zamkach a na myesczu Vaszey Xiazeczey Mylosci, nye chca nam spraviedlyvosczi czinycz y poddanych nasych nye chca nam vidavacz s ziemye Vaszey Xazecey Mylosczi, kthorzi poddany nassy s kroliewskiey Iego Mylosczi s siemye uciekayu nam, poddanym Iego Krolievskiey Mylosczi, s salogamy nasymy siemyenskymy, y doscz nyemalo nam saniossa do ssiemye Vaszey Xiazeczey Mylosczi, kthorych poddanych nas wsithkych siemyan nye chca nam ych stharostovie Vaszey Xiazeczey Myloszczy vidawacz any sprawiedlywosczi czinycz y owszem, nass odpoviadayą bycz Waszey Mylosczi Xiazeczey ziemy, kthorzi my, poddany bądacz Iego Kroliewskiey Myloszczy, nye smyemy iechacz zedacz spraviedlyvosczi za thakovymy prosbamy y za thakovymy odpoviedziamy nye smye zadny s nass iechacz zedacz spraviedlivosczi.

A thak nam nye lza, ieno ssya do Iego Kroliewskiey Mylosczi uciecz y thy wsythkye krzywdy y doliegloszczi s ziemye kroliewskiey, y tho uciessenye nas wsythkych poddanych Iego Kroliewskiey Mylosczi od starosth Vaszey Xiazeczey Mylosczi, kthora mamy.

Przyndzie nam opowiedziecz wsythky krywdy nasze Iego Kroliewskiey Mylosczi. Iego Kroliewska Myloscz badie raczil movycz o nass poddane swe, czo bych thakiego ucziazenya ny myely od poddanych siemye Vazey Xiazecey Mylosczi. A thak M. Xiaze, day tho Panye Boze, aby Pan Bog raczil dacz sczeslyve a fortunne priiehanye y sdrove od Pana Boga do

sseimiku dialdowskiego, a nam poddanym Iego Kroliewskiey Mylosczi sprawiedlywoscz ssam uczinycz. Zathym sczeslyvym, fortunnym a sdrovym prziechanym, ysby Vasza Xiazecza Myloscz raczil nam spraviedlyvoscz uczinycz a kmyothky naze kazal by[a] V.X.M. vroczicz czi, kthorzi nam do V.M. syemye sanyesly doscz nyemalo salog nasich. A thak ya M.Xiaze s ozobna proze, aby my V. Xazacza Myloscz roskazal vydacz thy kmiothky moie, kthorzi my uciekly pod Osterod, pod kthorymby kolwiek stharosthwem byly. Ia V.X.M. przebog proze, bo mya czi chlopi iuss barzo ssubozily nye thylko ze iuss ssamy uciekly do V.X. siemye, alie my y iynsse poddane wsmavayą y nye thylko poddane alie snasczi y bydlo bierza moym kmiothkom ynsym y mnye ssamemu, y s salogamy ssamy uciekaya. A zathym day tho Panye Boze, abych V.M. sdrovego, sczeslyvego, ogladaly na ssamku Dialdowskym a V.M. racz thes na nas viedziecz, ze V.X.M. radzy wsyscy sluzym poddany Iego Kroliewskiey [M.] thak vielie yako panu swemu Iego K.M. A thak V.X.M. Panu Bogu polieczam a V.M. proze V.X.M. o thy poddane, kthorzi ssa pod Ostrodem.

Sluzebnyk we wzem povolny y ziclyvy V.M. yako vlasny poddany V.X.M.

Adrian Sieliensky[b]

a) *sequitur una littera expuncta.*
b) *sequitur verbum illegibile.*
z) *sic in ms.*

*N. 1715.*

***Vilnae, 28.IX.1559.***

*Nicolaus Radziwiłł, palatinus Trocensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*Albertum Oborski, filium Petri, capitanei Birzensis, commendat et rogat, ut in numerum servitorum filii ducis recipiatur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1716.*

***Bieżuń, 29.IX.1559.***

*Elisabetha de Sieprc Brudzewska, palatina Lanciciensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*rogat, ut dux iustum decretum ferat in causa sua et sororis suae, Ursulae Lwowska, de bonis hereditariis Mielno.*
*(Polonice)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.390.*

N. 1717.

*Zgorsko, 29.IX.1559.*

*Ioannes Mielecki, palatinus Podoliae, Regni Poloniae marsalcus, Alberto in Prussia duci palatinum Moldaviae nuntium ad ducem missurum significat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

N. 1718.

*Vilnae, 6.X.1559.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus et notarius regius, Alberto in Prussia duci nepotem suum ad servitia ducis revertentem commendat.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

N. 1719.

*Vilnae, 6.X.1559.*

*Eustachius Wołłowicz, marsalcus et notarius regius, Alberto in Prussia duci de commissariis ad regundos fines controversos inter Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Prussiae a rege iam deputatis.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Pro eo atque Illustrissima Celsitudo Vestra apud Sacram Maiestatem Regiam, Principem et Dominum meum clementissimum, petitis suis exegit, Commissarii certi a Sua Sacra Magestate Regia ad terminandas differentias limitum inter Magnum Ducatum Lithwaniae Suae Maiestatis et Ducatum Prussiae Illustrissimae Celsitudinis Vestrae iam deputati sunt. Qui una cum Commissariis, ab Illustrissima Celsitudine Vestra ad hoc delegatis, omnes illas differentias ex aequo et bono utriusque dominii, Deo favente, terminaturi sunt, quemadmodum eo in negotio Illustrissima Celsitudo Vestra ex Oratore suo lacius cognoscere dignabitur.

Ego vero, quibuscunque in rebus potero Illustrissimae Celsitudini Vestrae servitia obsequiaque mea probare illiusque gratiam demereri, id quam quod maxime curaturum me semper polliceor et offero... Datum Vilnae, VI Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono.

Eiusdem Celsitudinis Vestrae addictissimus famulus
[a] Eustachius Wolovicz, Marschalcus Notarius Sacrae Regiae Maiestatis. [b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1720.*

*Międzybórz, 13.XI.1559.*

*Nicolaus Sieniawski, palatinus Russiae,*
*Alberto in Prussia duci*
*petit auxilium in redimendis ex captivitate Tartarica matre, duobus fratribus, tribus sororibus et non parva fortuna Matthiae Kuryłowski, cuius familiam magno cum periculo vitae, post longas perquisitiones, tandem invenerat; qua in re intercessionem ducis implorat etiam apud alios Germaniae principes.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

Durchleuchter *etc.*

Ich, wie ein gehorsamer diener Ewer F. G., kunte es nicht unterwegen lassen und Ewer F. G. mit diesem meinen schreiben heimsuchen, als meinen gnedigen herren, von wegen Ewer F. G. gesundheit. Der Almechtige Got wolte es geben, das ich es lange mochte von Ewer F. G. horen, in welcher ich auch Ewer F. G. herzlichen gerne dienen wolte mit aller meiner freundschaft und angeborner siebschaft, in welchem ich auch Ewer F. G. zu aller zeit eines geburlichen gebots mit ganzer guttwilligheit und dinstbarkeit warthen will vor alle gutthat, welche Ewer F. G. an mir armen dinstbothen erzeiget und gethan hot. Wormitte ich das wissete, wie ich das widerumb kegen Ewer F. G. vordienen mochte, wiewoll klein, wolt ich es von hertzen gerne thuen, in welchem ich doch keinen zweifel habe, das mich E. F. G. nicht vorgessen wirdt, als E. F. G. untherthanen. Wolte auch Seiner F. Gnaden diener befelen, alles das Ewer F. G. lieb ist und noch Ewrem willen, beyn mir sol kein ding vorborgen sein, welches ich nicht offenbaren solte, bis auf das kleinste gebot.

Durchleuchter, hochgeborner furste. Wen ich Ewer F. G. in deme nicht vorletzen mochte, meinem gnedigen herren nichts zuwider mochte sein, bitte ich Gott den Almechtigen, das ich in deme nicht sundigete oder ubertreten mochte kegen Ewer Gnaden, in welchen ich dan, neben Gote, mein vortrawen und zuvorsicht habe als an meinen gnedigen herren, auf das Ewre F. G. wolten christlich und gutwillig von einem geringen diener annemen und diese meine begeren gnediglich annemen und vorhorchen.

Hochgeborner, durchleuchtiger furste, gnediger herre.

Ich bitte Ewer F. G. von wegen des edlen jungen gesellen Mathias Kurilowssky, untherthanen seiner koniglichen maiesteten Sigismundi Augusti, koenigen zu Polen, unsers allen gnedigsten herren, gleichwie vor seinen diener bitte ich, auf das Ewer F. G. wolte aus sunderlichen gnaden das thuen und den elenden edelman, welcher von den heiden als von den Tateren vorterbet ist worden, widerumb aus sunderlichen guttwilligheit Ewerer F. G. helfen und handhaben, das es mochte auss iren henden abgekauffet werden und gefreiet, welche die Thateren genomen haben, als nemlich iam jare tawsentfunfhundertund achtundfunftzig auf fastnacht, in welcher zeit sie inen genomen haben, als nemlich die mutter, sampt zwinen bruderen und dreien schwesteren sampt aller irer haben, welche nicht geringe gewesen ist. Welches er als ein gutter, erlicher son, das seiner mutter und aller freundtschaft und geschwister von hertzen goennet und auch seinen hals gewaget, sie suchende schir

ein ganzes jar, bis das er sie funden hot. Welche dieselbte seine freundtschaft er vorburget hot umb ein hohe summa, welcher er nicht kan genugthuen, allein mit der hulfe des Almechtigen Gottes und gutter, rechtfertiger, fromer christen. Welcher mich auch in sunderheit fleissig gebethen hot, das ich Ewer F. G. auch mit ganzem fleis bitten wolte, Ewer F. G. wolt sich derselbten gnediglichen annemen, sich irer aus christlicher lieben erbarmen. Welcher dan auch zu Gote und Eweren F. G. den zuvorsicht hot, Ewer F. G. wurde ein solches nicht vorsagen aus sunderlicher christlicher lieben, welchem ich an Ewer F. G. einen gutten zuvorsicht habe, das dasselbte Ewer F. G. thuen wurden vorderlich durch Christum Iesum, unseren Seligmacher, und auch aus meiner sunderlichen vorbitten und flehen, Ewer F. G. wolt eine sunderliche vorschrift vor sie thuen und vorbitten zu iren gnaden den deutschen fursten, als nemlichen hertzogen aus Pomeren, hertzogen von Brunsswigk, hertzogen von Krossen, marggraffen von Meckelburgk und allen, die etwas dorinnen zu walten haben, Ewer F. G. wolt ein offenes bitten und zeugnus zu iren gnaden thuen, das sie doch aus solchen grausamen und erschrecklichen banden der tyrannen mochte komen und gefreiet werden.

Newer zeitungen weis ich Ewer F. G. nichts zu schreiben... Datum ex arce Miedzibosiensi feria secunda a festo divi Martini proxima anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quinquagesimo nono.

Nicolaus Syeniawsky a Syeniawa, Palatinus Russiae,
Campiductor Coronae Polonicae etc.,
Halicensis Colomicensisque Capitaneus
[a] manu propria in omnibus subscripsit.[b]

a)-b) *manu propria.*

*N. 1721.*

*Vilnae, 17.XI.1559.*

*Ioannes Hieronymus Chodkiewicz, castellanus Vilnensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*pro equo dono misso gratias agit, servitia offert.*
*(Germanice)*
*Sigill.*
*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1722.*

*Lublini, 18.XI.1559.*

*Stanislaus Tęczński, palatinus Cracoviensis,*
*Alberto in Prussia duci*
*de proposito suo in Germaniam non proficiscendi nuntiat et tardiorem Horatii Curionis dimissionem excusat (cfr. N. 1666).*
*Vest. sigilli.*
*H B A, B 2, K.390.*

Illustrissime Princeps *etc.*

Ad hoc usque tempus semper de profectione mea in Germaniam incertus fui. Nunc vero, quandoquidem tam diu dilata et rebus meis

bene perpensis legationem hanc nullo modo suscipere decrevi, praesertim vero cum filium meum[1] expectem indies, quem ex Galia in patriam non levibus de causis revocavi. Hac igitur de causa factum est, ut Generosus Dominus Horacius Curio ad Celsitudinem Vestram hactenus non redierit. Nolebam enim illum dimittere, donec certus essem de profectione mea. Nolebam etiam illum abire propter pestem, quae in omnibus fere partibus Regni grassatur, ne in periculum aliquod incideret. Rogo igitur Illustrissimam Celsitudinem Vestram, ne moram hanc illius aegre ferre dignetur, nam aliter ipse, cum ego ita vellem, facere non potuit, sed pocius mea de causa gratiae aliquid erga illum addat, nam ego id acceptum feram, cum illum non secus ac filium amem. Hocque officii genus ipsius, quod iussu Illustrissimae Celsitudinis Vestrae mihi praestitit, curabo per omnem occasionem Illustrissimae Celsitudini Vestrae, si non referre,[a] at saltem recognoscere. Caeterum, quod scribam ad Illustrissimam Celsitudinem Vestram, nihil habeo. Ex ipso Domino Horacio, cui aliqua commisi, intelliget omnia. Rogo, illi in omnibus, quae nomine meo refferet, plenam fidem illi tribuere dignetur... Datum Lublini, 18 Novembris, 1559.

[b] Vestre Illustrissime Celsitudinis
servitor perpetuus
Stanislaus Comes in Thancin subscripsit.[c]

a) *in ms.* refere
b)-c) *manu propria.*
1) *Ioannes Baptista.*

*N. 1723.*

*Grodzisko, 1.XII.1559.*

*Stanislaus Ostroróg*
*Alberto in Prussia duci*
*pro Ursula Lwowska, castellana Covaliensi, ut ei subditi profugi, apud capitaneum in Schönberg (Szymbarski) in Prussia latitantes, reddantur.*

*Sigill.*

*H B A, B 2, K.390.*

*N. 1724.*

*Vilnae, 31.XII.1559.*

*Ioannes Dulski*
*Alberto in Prussia duci*
*per amicum suum, ducis vero consiliarium, doctorem Christophorum Ionam, obsequia et parata servitia offert.*
*(Germanice)*

*Vest. sigilli.*

*H B A, B 2, K.390.*

| Nr. | | | Dat. |
|---|---|---|---|
| 1458 | Baliński Lucas | Alberto duci | Marienburgi, 2.IX.1554 |
| 1513 | » » (cum 4 annexis) | » » | Marienburgi, 12.I.1556 |
| 1617 | Bieliński Iacobus | » » | Płock, 15.IX.1557 |
| 1466 | Bojanowski Stanislaus | » » | Posnaniae, 4.XI.1554 |
| 1473 | » » | » » | Posnaniae, 20.XII.1554 |
| 1474 | » » (cum 2 annexis) | » » | Posnaniae, 4.I.1555 |
| 1501 | Boner Ioannes | » » | Balice, 19.X.1555 |
| 1562 | » » | » » | Cracoviae, 22.IX.1556 |
| 1487 | Brudzewska de Sieprc Elisabetha | » » | Petricoviae, 13.VI.1555 |
| 1698 | » » » | » » | Sieprc, 9.VI.1559 |
| 1716 | » » » | » » | Bieżuń, 29.IX.1559 |
| 1439 | Chodkiewicz Hieronymus | » » | Świsłocz, 4.V.1554 |
| 1459 | » » | » » | Memel, 6.IX.1554 |
| 1470 | » » | » » | Vilnae, 28.XI.1554 |
| 1542 | » » | » » | Wilkija, 7.VII.1556 |
| 1546 | » » | » » | Ejragoła, 11.VII.1556 |
| 1581 | » » | » » | Vilnae, 4.II.1557 |
| 1592 | » » | » » | Vilnae, 31.III.1557 |
| 1602 | » » | » » | Lebieda, 10.VI.1557 |
| 1608 | » » | » » | Wilkija, 20.VII.1557 |
| 1631 | » » | » » | Szawkiany, 6.I.1558 |
| 1634 | » » | » » | Szawkiany, 16.I.1558 |
| 1686 | » » | » » | Vilnae, 14.III.1559 |
| 1697 | » » | » » | Szawkiany, 7.VI.1559 |
| 1700 | » » | » » | Szawkiany, 25.VI.1559 |
| 1702 | » » | » » | Szawkiany, 6.VII.1559 |
| 1721 | » » | » » | Vilnae, 17.XI.1559 |
| 1699 | Chwalczewski Petrus | Georgio von Krösten | Cnissini, 24.VI.1559 |
| 1706 | » » | Alberto duci | Cnissini, 28.VII.1559 |
| 1635 | Cromerus Martinus (cum sched. et annexo) | » » | Pragae, 19.I.1558 |
| 1643 | Domanowski Ioannes | » » | Vilnae, 26.III.1558 |
| 1684 | » » | » » | Vilnae, 8.III.1559 |
| 1483 | Dowojna Stanislaus | » » | Vilnae, 9.III.1555 |
| 1724 | Dulski Ioannes | » » | Vilnae, 31.XII.1559 |
| 1601 | Dzierzgowski Nicolaus | » » | Uniejów, 2.VI.1557 |
| 1707 | Ferdinandus I | Valentino Protasewicz | Augustae, 5.VIII.1559 |
| 1443 | Górka Andreas et Lucas | Alberto duci | Vilnae, 30.V.1554 |
| 1572 | » » | » » | Varsaviae, 15.XI.1556 |

| Nr. | | | Dat. |
|---|---|---|---|
| 1443 | Górka Lucas et Andreas | Alberto duci | Vilnae, 30.V.1554 |
| 1471 | » » | » » | Posnaniae, 20.XII.1554 |
| 1509 | » » | » » | Posnaniae, 9.XII.1555 |
| 1540 | » » | » » | Posnaniae, 3.VII.1556 |
| 1552 | » » | » » | Posnaniae, 28.VII.1556 |
| 1553 | » » | » » | Posnaniae, 11.VIII.1556 |
| 1563 | » » | » » | Posnaniae, 22.IX.1556 |
| 1585 | » » | » » | Posnaniae, 5.III.1557 |
| 1590 | » » | » » | Posnaniae, 31.III.1557 |
| 1591 | » » | » » | Posnaniae, 31.III.1557 |
| 1648 | » » | » » | Posnaniae, 20.VI.1558 |
| 1658 | » » | » » | Posnaniae, 19.IX.1558 |
| 1665 | » » | » » | Posnaniae, 21.X.1558 |
| 1667 | » » | » » | Posnaniae, 28.X.1558 |
| 1673 | » » | » » | Posnaniae, 16.XII.1558 |
| 1593 | Gradowski Ioannes | » » | Vilnae, 31.III.1557 |
| 1674 | » » | » » | Caunae, 9.I.1559 |
| 1440 | Iłowski Alexander | » » | Glinki, 21.V.1554 |
| 1460 | » » | » » | Grądy, 13.IX.1554 |
| 1532 | » » (cum annexo) | » » | Niedźwiadna, 12.VI.1556 |
| 1650 | » » | » » | Niedźwiadna, 6.VII.1558 |
| 1657 | Jasieński Albertus | » » | Varsaviae, 16.IX.1558 |
| 1431 | Jordan de Zakliczyn Spytek | » » | Lublini, 21.III.1554 |
| 1438 | » » » | » » | Brestae, 3.V.1554 |
| 1524 | Kochanowski Ioannes | » » | Regiomonti, 6.IV.1556 |
| 1675 | Konopacki Raphael | » » | Konopat, 18.I.1559 |
| 1507 | Kościelecki Ianussius | » » | Danaborz, 18.XI.1555 |
| 1526 | » » | » » | Nekla, 27.IV.1556 |
| 1587 | » » | » » | Posnaniae, 6.III.1557 |
| 1515 | Krotowski Ioannes | » » | Strasberg, 4.II.1556 |
| 1627 | Krzykowski Stiborius (cum annexo) | » » | Vilnae, 2.XII.1557 |
| 1598 | Kuncewicz Ioannes | » » | Caunae, 17.IV.1557 |
| 1584 | Kurzbach Anna (cum sched. et annexo) | » » | Vierzighuben, 16.II.1557 |
| 1480 | Kurzbach Witkowski Ioannes | » » | Vierzighuben, 2.II.1555 |
| 1609 | » » » | » » | Cracoviae, 25.VII.1557 |
| 1636 | » » » | » » | Cracoviae, 26.I.1558 |
| 1659 | » » » | » » | Cracoviae, 21.IX.1558 |
| 1669 | » » » | » » | Cracoviae, 2.XI.1558 |
| 1514 | Łącki Casparus | » » | Ronnenburgi, 21.I.1556 |
| 1528 | Łącki Nicolaus | Casparo Łącki | Bydgostiae, 13.V.1556 |
| 1445 | Łaski Ioannes | Alberto duci | Emdae, 4.VI.1554 |
| 1597 | » » | » » | Vilnae, 13.IV.1557 |
| 1641 | » » | » » | Goluchoviae, 18.III.1558 |
| 1645 | » » | » » | Heiligenbeil, 18.IV.1558 |
| 1639 | Łaski Nicolaus | » » | Vilnae, 8.III.1558 |
| 1676 | » » | » » | Petricoviae, 22.I.1559 |
| 1711 | » » | » » | Vilnae, 26.VIII.1559 |
| 1661 | Lasota Christophorus | » » | Varsaviae, 2.X.1558 |
| 1672 | » » | » » | Cracoviae, 9.XII.1558 |

| Nr. | | | Dat. |
|---|---|---|---|
| 1468 | Ławski Stanislaus | Alberto duci | Łomża, 12.XI.1554 |
| 1571 | » » | » » | Varsaviae, 14.XI.1556 |
| 1594 | » » | » » | Raków, 7.IV.1557 |
| 1615 | » » | » » | Ławy, 3.IX.1557 |
| 1629 | » » | » » | Ciechanów, 21.XII.1557 |
| 1647 | Leszczyński Raphael | » » | Leszno, 6.V.1558 |
| 1569 | Lupsiński Andreas ad notitiam | Alberti ducis | Posnaniae, 31.X.1556 |
| 1561 | Lutomirski Ioannes | Alberto duci | Vilnae, 9.IX.1556 |
| 1580 | » » | » » | Varsaviae, 16.I.1557 |
| 1637 | » » | » » | Lanciciae, 28.I.1558 |
| 1511 | Lutomirski Stanislaus | » » | Konin, 20.XII.1555 |
| 1558 | » » (cum 2 schedulis | » » | Konin, 17.VIII.1556 |
| 1677 | » » (cum schedula) | » » | Lutomirsko, 26.I.1569 |
| 1692 | » » | » » | Kazimierza Mała, 15.IV.1559 |
| 1693 | » » | » » | Kazimierza Mała, 23.IV.1559 |
| 1453 | Lwowska de Sieprc Ursula (cum schedula) | » » | Sarnowo, 10.VIII.1554 |
| 1455 | » » » » | » » | Sarnowo, 12.VIII.1554 |
| 1506 | » » » » | » » | Sieprc, 11.XI.1555 |
| 1712 | » » » » | » » | Sieprc, 14.IX.1559 |
| 1588 | Maciejowski Nicolaus | » » | Maciejowice, 12.III.1557 |
| 1679 | Mielecki Ioannes | » » | Petricoviae, 3.II.1559 |
| 1717 | » » | » » | Zgorsko, 29.IX.1559 |
| 1632 | Modliszewski Hieronymus | » » | Łomża, 9.I.1558 |
| 1435 | Noskowski Andreas | » » | Poltoviae, 26.IV.1554 |
| 1463 | » » | » » | Gorzno, 6.X.1554 |
| 1500 | » » | » » | Poltoviae, 8.X.1555 |
| 1703 | » » | » » | Poltoviae, 10.VII.1559 |
| 1710 | » » | » » | Poltoviae, 21.VIII.1559 |
| 1689 | Nowowiejski Martinus | » » | Posnaniae, 5.IV.1559 |
| 1577 | Oborski Petrus | » » | Birże, 8.I.1557 |
| 1432 | Ocieski Ioannes | » » | Lublini, 21.III.1554 |
| 1436 | » » | » » | Parczów, 26.IV.1554 |
| 1491 | » » | » » | Petricoviae, 20.VI.1555 |
| 1522 | » » | » » | Cracoviae, 4.IV.1556 |
| 1564 | » » | » » | Varsaviae, 9.X.1556 |
| 1567 | » » | » » | Varsaviae, 26.X.1556 |
| 1575 | » » | » » | Varsaviae, 13.XII.1556 |
| 1603 | » » | » » | Vilnae, 18.VI.1557 |
| 1604 | » » (cum schedula) | » » | Vilnae, 26.VI.1557 |
| 1607 | » » | » » | Vilnae, 16.VII.1557 |
| 1611 | » » | » » | « ex castris », 4.VIII.1557 |
| 1616 | » » | » » | Pozwol, 13.IX.1557 |
| 1618 | » » | » » | Vilnae, 5.X.1557 |
| 1620 | » » | » » | Vilnae, 16.X.1557 |
| 1625 | » » | » » | Vilnae, 29.XI.1557 |
| 1630 | » » | » » | Vilnae, 2.I.1558 |
| 1654 | » » | » » | Lublini, 1.IX.1558 |
| 1662 | » » | » » | Varsaviae, 2.X.1558 |
| 1670 | » » | » » | Cracoviae, 8.XI.1558 |

| Nr. | | | Dat. |
|---|---|---|---|
| 1465 | Ostroróg Iacobus (cum schedula) | Alberto duci | Ostroróg, 30.X.1554 |
| 1503 | » » | » » | Posnaniae, 6.XI.1555 |
| 1539 | » » | » » | Posnaniae, 3.VII.1556 |
| 1425 | Ostroróg Stanislaus | » » | Koźminek, 5.I.1554 |
| 1451 | » » | » » | Grodzisko, 5.VIII.1554 |
| 1481 | » » | » » | Grodzisko, 11.II.1555 |
| 1521 | » » | » » | Grodzisko, 31.III.1556 |
| 1535 | » » | » » | Posnaniae, 2.VII.1556 |
| 1586 | » » | » » | Posnaniae, 5.III.1557 |
| 1596 | » » | » » | Ostroróg, 12.IV.1557 |
| 1642 | » » | » » | Grodzisko, 21.III.1558 |
| 1656 | » » | » » | Posnaniae, 14.IX.1558 |
| 1664 | » » | » » | Międzychód, 19.X.1558 |
| 1688 | » » | » » | Posnaniae, 4.IV.1559 |
| 1705 | » » (cum schedula et 3 annexis) | » » | Grodzisko, 26.VII.1559 |
| 1708 | » » | » » | Grodzisko, 7.VIII.1559 |
| 1723 | » » | » » | Grodzisko, 1.XII.1559 |
| 1547 | Połubiński Alexander | » » | Nörenberg in Pomer., 12.VII.1556 |
| 1426 | Przerembski Ioannes (cum sched.) | » » | Cnissini, 18.I.1554 |
| 1428 | » » | » » | Lublini, 3.III.1554 |
| 1430 | » » | » » | Lublini, 21.III.1554 |
| 1437 | » » (cum schedula) | » » | Brestae in Lith., 1.V.1554 |
| 1441 | » » | » » | Vilnae, 25.V.1554 |
| 1442 | » » (cum schedula) | » » | Vilnae, 29.V.1554 |
| 1446 | » » | » » | Vilnae, 9.VI.1554 |
| 1447 | » » | » » | Vilnae, 16.VI.1554 |
| 1448 | » » | » » | Vilnae, 23.VI.1554 |
| 1449 | » » (cum schedula) | » » | Vilnae, 18.VII.1554 |
| 1452 | » » | » » | Vilnae, 6.VIII.1554 |
| 1456 | » » | » » | Vilnae, 24.VIII.1554 |
| 1457 | » » | » » | Vilnae, 24.VIII.1554 |
| 1464 | » » | » » | Vilnae, 14.X.1554 |
| 1467 | » » | » » | Vilnae, 5.XI.1554 |
| 1469 | » » | » » | Vilnae, 20.XI.1554 |
| 1472 | » » | » » | Vilnae, 20.XII.1554 |
| 1477 | » » | » » | Wołkiniki, 12.I.1555 |
| 1484 | » » | » » | Vilnae, 19.III.1555 |
| 1489 | » » | » » | Petricoviae, 19.VI.1555 |
| 1495 | » » | » » | Vilnae, 3.IX.1555 |
| 1505 | » » | » » | Vilnae, 11.XI.1555 |
| 1510 | » » | » » | Vilnae, 9.XII.1555 |
| 1512 | » » | » » | Vilnae, 23.XII.1555 |
| 1518 | » » | » » | Vilnae, 27.II.1556 |
| 1519 | » » | » » | Vilnae, 14.III.1556 |
| 1527 | » » | » » | Wołkiniki, 4.V.1556 |
| 1529 | » » | » » | Dołgi, 17.V.1556 |
| 1550 | » » | » » | Vilnae, 20.VII.1556 |
| 1565 | » » | » » | Varsaviae, 12.X.1556 |

| Nr. | | | Dat. |
|---|---|---|---|
| 1568 | Przerembski Ioannes | Alberto duci | Varsaviae, 27.X.1556 |
| 1589 | » » | » » | Vilnae, 20.III.1557 |
| 1600 | » » | Assuero Brandt | Vilnae, 16.V.1557 |
| 1605 | » » | Alberto duci | Vilnae, 2.VII.1557 |
| 1606 | » » | » » | Vilnae, 16.VII.1557 |
| 1612 | » » | » » | Onikszty, 9.VIII.1557 |
| 1619 | » » | » » | Vilnae, 15.X.1557 |
| 1624 | » » | » » | Varsaviae, 18.XI.1557 |
| 1626 | » » | » » | Vilnae, 2.XII.1557 |
| 1628 | » » | » » | Vilnae, 4.XII.1557 |
| 1633 | » » | » » | Vilnae, 11.I.1558 |
| 1651 | » » | » » | Crasnostaviae, 15.VII.1558 |
| 1660 | » » | » » | Varsaviae, 25.IX.1558 |
| 1663 | » » | » » | Varsaviae, 3.X.1558 |
| 1482 | Pusch Nissenus Batholomaeus | Nicolao Tarło | Cracoviae, 3.III.1555 |
| 1559 | Radłowski Casparus | Stanislao Pierzchliński | Bar, 22.VIII.1556 |
| 1476 | Radziwiłł Nicolaus « Niger » (cum sched.) | Alberto duci | Vilnae, 12.I.1555 |
| 1479 | » » » | » » | Vilnae, 14.I.1555 |
| 1494 | » » » | » » | Vilnae, 3.IX.1555 |
| 1498 | » » » | » » | Vilnae, 1.X.1555 |
| 1499 | » » » | » » | Vilnae, 2.X.1555 |
| 1508 | » » » | » » | Vilnae, 9.XII.1555 |
| 1525 | » » » | » » | Vilnae, 14.IV.1556 |
| 1530 | » » » (cum 2 sched. | » » | Vilnae, 28.V.1556 |
| 1531 | » » » et 2 annexis) | » » | Vilnae, 9.VI.1556 |
| 1533 | » » » | » » | Vilnae, 17.VI.1556 |
| 1534 | » » » (cum annexo) | » » | Vilnae, 22.VI.1556 |
| 1536 | » » » (cum annexo) | » » | Vilnae, 2.VII.1556 |
| 1543 | » » » | » » | Vilnae, 8.VII.1556 |
| 1551 | » » » | » » | Vilnae, 21.VII.1556 |
| 1554 | » » » | » » | Vilnae, 11.VIII.1556 |
| 1560 | » » » | » » | Vilnae, 29.VIII.1556 |
| 1610 | » » » | Assuero Brandt | Kurkle, 25.VII.1557 |
| 1640 | » » » | Alberto duci | Vilnae, 12.III.1558 |
| 1649 | » » » | » » | Vilnae, 3.VII.1558 |
| 1701 | » » » | » » | Vilnae, 28.VI.1559 |
| 1486 | Radziwiłł Nicolaus « Rufus » | » » | Zblany, 29.V.1555 |
| 1538 | » » » | » » | Vilnae, 2.VII.1556 |
| 1544 | » » » | » » | Onikszty, 9.VII.1556 |
| 1548 | » » » (cum schedula) | » » | Krupiszki, 13.VII.1556 |
| 1549 | » » » | » » | ad fl. Mussa, 19.VII.1556 |
| 1715 | » » » | » » | Vilnae, 28.IX.1559 |
| 1714 | Sieleński Adrianus | » » | s.l. s.d. 1559 |
| 1427 | Sieniawski Nicolaus | » » | Brzeżany, 19.II.1554 |
| 1492 | » » | » » | Brzeżany, 28.VII.1555 |
| 1720 | » » | » » | Międzybórz, 13.XI.1559 |
| 1450 | Sieniawski Procopius | » » | Leopoli, 27.VII.1554 |
| 1493 | » » | » » | Wojniłów, 11.VIII.1555 |
| 1696 | » » | » » | Wojniłów, 1.VI.1559 |
| 1713 | » » | » » | Zagórze, 21.IX.1559 |

| Nr. | | | Dat. |
|---|---|---|---|
| 1462 | Sienieński a Sienno Ioannes | Alberto duci | Pomorzany, 21.X.1554 |
| | Sieprc v. Brudzewska, v. etiam Lwowska | | |
| 1433 | Sieprski Andreas | » » | Piastów, 15.IV.1554 |
| 1583 | Skaszewski Stanislaus | » » | Kroże, 13.II.1557 |
| 1622 | » » | » » | Kroże, 3.XI.1557 |
| 1646 | » » | » » | Kroże, 1.V.1558 |
| 1653 | » » | » » | Kurtowiany, 9.VIII.1558 |
| 1682 | » » | » » | Kurtowiany, 9.II.1559 |
| 1704 | » » | » » | Kurtowiany, 20.VII.1559 |
| 1691 | Soborowski Ioannes | » » | In Nova Civitate, 15.IV.1559 |
| 1454 | Srzeński Felix | » » | Srzeńsko, 11.VIII.1554 |
| 1683 | Suszycki Ioannes | » » | Torunii, 20.II.1559 |
| 1613 | Tarło Nicolaus | » » | Onikszty, 9.VIII.1557 |
| 1614 | » » (cum schedula) | » » | Pozwol, 31.VIII.1557 |
| 1444 | Tarnowski Ioannes | » » | Tuszów, 1.VI.1554 |
| 1461 | » » | » » | Tarnopoli, 19.IX.1554 |
| 1490 | » » | » » | Petricoviae, 20.VI.1555 |
| 1523 | » » | » » | Wiewiórka, 6.IV.1556 |
| 1541 | » » | » » | Wiewiórka, 7.VII.1556 |
| 1556 | » » | » » | Wiewiórka, 13.VIII.1556 |
| 1566 | » » | » » | Osiek, 21.X.1556 |
| 1579 | » » | » » | Varsaviae, 14.I.1557 |
| 1582 | » » | » » | Wiewiórka, 13.II.1557 |
| 1678 | » » | » » | Petricoviae, 31.I.1559 |
| 1680 | » » | » » | Petricoviae, 4.II.1559 |
| 1685 | » » | » » | Sandomiriae, 9.III.1559 |
| 1488 | Tęczyński Ioannes | » » | Petricoviae, 19.VI.1555 |
| 1485 | Tęczyński Stanislaus | » » | Kraśnik, 9.IV.1555 |
| 1555 | » » | » » | Moravicii, 12.VIII.1556 |
| 1573 | » » | » » | Varsaviae, 5.XII.1556 |
| 1576 | » » | » » | Varsaviae, 2.I.1557 |
| 1652 | » » | » » | Lublini, 1.VIII.1558 |
| 1655 | » » (cum schedula) | » » | Lublini, 2.IX.1558 |
| 1666 | » » (cum schedula) | » » | Petricoviae, 24.X.1558 |
| 1722 | » » | » » | Lublini, 18.XI.1559 |
| 1570 | Tomicka de Oporów Sophia ad notitiam | Alberti ducis | Tomice, 1.XI.1556 |
| 1496 | Tomicki Ioannes | Alberto duci | Lisowo, 6.IX.1555 |
| 1504 | » » | » » | Posnaniae, 7.XI.1555 |
| 1537 | » » (cum annexo) | » » | Posnaniae, 2.VII.1556 |
| 1621 | » » | » » | Tomice, 3.XI.1557 |
| 1668 | » » | » » | Tomice, 30.X.1558 |
| 1638 | Trzebuchowski Nicolaus | » » | Vilnae, 5.III.1558 |
| 1695 | Warszewicki Stanislaus | » » | Cracoviae, 15.V.1559 |
| 1434 | Wilkanowski Adamus | » » | Rzewnin, 22.IV.1554 |
| | Witkowski v. Kurzbach | | |
| 1595 | Wołłowicz Eustachius | » » | Vilnae, 11.IV.1557 |
| 1671 | » » | » » | Petricoviae, 8.XII.1558 |
| 1690 | » » | » » | Cracoviae, 8.IV.1559 |
| 1709 | » » | » » | Vilnae, 11.VIII.1559 |

| Nr. | | | Dat. |
|---|---|---|---|
| 1718 | Wołowicz Eustachius | Alberto duci | Vilnae, 6.X.1559 |
| 1719 | » » | » » | Vilnae, 6.X.1559 |
| 1644 | Zborowski Ioannes | » » | Odolanów, 26.III.1558 |
| 1429 | Zborowski Martinus (cum sched.) | » » | Stobnica, 15.III.1554 |
| 1475 | » » | » » | Stobnica, 3.I.1555 |
| 1497 | » » | » » | Stobnica, 25.IX.1555 |
| 1502 | » » | » » | Posnaniae, 5.XI.1555 |
| 1516 | » » | » » | Stobnica, 7.II.1556 |
| 1517 | » » | » » | Ujazd, 11.II.1556 |
| 1520 | » » | » » | Stobnica, 28.III.1556 |
| 1545 | » » | » » | Stobnica, 10.VII.1556 |
| 1557 | » » | » » | Stobnica, 16.VIII.1556 |
| 1574 | » » | » » | Varsaviae, 12.XII.1556 |
| 1578 | » » | » » | Varsaviae, 14.I.1557 |
| 1599 | » » | » » | Stobnica, 8.V.1557 |
| 1623 | » » | » » | Piękoszewo, 3.XI.1557 |
| 1681 | » » | » » | Petricoviae, 4.II.1559 |
| 1687 | » » | » » | Stobnica, 24.III.1559 |
| 1694 | » » | » » | Iwanowice, 7.V.1559 |
| 1478 | Zebrzydowski Andreas | » » | Bodzętyn, 13.I.1555 |

# INDEX PERSONARUM ET LOCORUM

*Hoc in Indice nulla ratio habita est nominum propriorum in Introductione et in notis bibliographicis occurrentium. Numeri ad paginas, non ad numeros documentorum remittunt.*

## A


ADALBERTUS s., 190.
ADAMOWSKI, 97.
AEMDA, *v.* Emda.
ALBERTUS marchio Brandenburgensis, dux in Prussia, *passim.*
ALBERTUS iunior marchio Brandenburg., 19, 140-1, 147-8.
ALBIS, fl., 8.
ALEPPO (Halep), 5.
ALEXANDER Jagellonides, rex Pol., 191.
ALEXANDER Lapušneanu, pal. Moldaviae, 49, 77-9, 196, 198.
AMASIA (Amaza), opp. in Turcia, 49.
ANDRISSOWO, bona, 34.
ANNA SOPHIA, filia ducis Alberti, ducissa Megapolen., 42, 51, 59.
ANGLIA, Anglicus, 165, 178.
ANSA, Anza *v.* Hansa.
ARABICUS (arabsky), equus, 197.
AUGUSTA, Augsburg, 36, 38, 194.
AUGUSTANA confessio, 160.
AUGUSTOVIA (Augustha), Augustów, 182.
AUGUSTUS dux Saxoniae, 24-5.
AUSTRIACA familia, 159.
AVASFELFÖLD (Avafelfeld), opp. in Valachia, 40.


## B


BALICE (Balicze), 53, 99, 100.
BALIŃSKI Lucas, trib. Dobinensis, cap. Marienb., 28, 59.
BANTKOWSKI Matthias, 169.
BAR (in Podolia), 97-8.
BARNIM IX dux Pomer., 23.
BARTHOLOMAEI s. dies, 78, 85.
BASILIENSE Concilium, 190.
BÁTHORY (Batori) Andreas, 40-1.
BEBEK Franciscus, 31, 63.
BENEDICTUS (Benedic) dyac, 41.
BERZANENSIS districtus, 184.
BIALOGRODENSES Turcae, 49.
BIAŁOWIEŻA, 42.
BIECENSIS (Bieczensis), 53, 99, 100.
BIELIŃSKI Iacobus, ep. Lacedaemon., suffraganeus Plocen., 135.
BIERZA *v.* Birże.
BIEŻUŃ, 199.
BINE (Byne) Benedictus, civ. Regiomontanus, 155, 183.
BIRŻE (Bierza, Birsa), Birzensis, 79, 84, 109-11, 199.
BITHNER Bernardus, civ. Caunensis, 131.
BOBROWNICKI (Bobrowieniczky) Balthasar, ableg. reg. in Livonia, 110-11.
BODZĘTYN (Bodzancin), 43.
BOGNER Antonius, civis Regiomont., 56, 62.
BOGUSKI, 97.
BOHEMIA (Boemia), Bohemus (Boemus, Boemicus), 6-8, 18, 27, 50, 66, 111-3.
BOJANOWSKI (Boianowski) Stanislaus, secr. regius, 30, 32, 36, 38-42, 53.
BOLESLAUS Pius, dux Maioris Poloniae, 191-2.
BONA reg. Pol., 31-2, 182-3.
BONER (Bonar) Ioannes, cast. Biecensis, 37, 53, 99-100.
BONIUS Franciscus, Germanus, 46.
BORATYŃSKI Petrus, cast. Premisl., 29.
BOSNAE, 180.
BOTHOCENSIS *v.* Skaszewski.
BRANDENBURGENSIS, Brandenburgicus, 3-4, 6, 23, 36, 50, 60, 65, 68, 70-5, 78, 80, 85, 89-90, 92, 101, 103, 109-10, 129, 135, 139-42, 147-8, 165.
BRANDT (Branth) Assuerus, cap. Tapiensis, 26, 34, 46-7, 72, 78, 122, 129.
BRANDT Iacobus, Regiomontanus, 157.
BRESTA (Brzesczie) in Lithuania, 13-4.
BRESTENSIS (Cuiaviensis), 35, 56, 80-1, 89-90, 100-1, 115, 117-8, 188.
BRONIEWSKI Nicolaus, miles, 90.
BRUDZEWSKA Elisabetha, de Sieprc, pal. Lanciciensis, 46, 54, 181, 196, 199.
BRUNSVICUM (Brunsswigk), Brunsvicensis, 19, 202.
BRZESCZIE *v.* Bresta in Lith.
BRZEŻANY (Brzezani), 4, 6, 48-9.
BSICZKI *v.* Bzicki.
BUDA, 40.
BUSCENSIS *v.* Górka Lucas.
BYDGOSTIA, 66.
BYNE *v.* Bine.
BZICKI (Bsiczki) Andreas, cast. Chelmensis, orator reg. Pol apud Turcas, 170.


## C


CAESAREA Maiestas *v.* Ferdinandus I.
CAESAREA et Catholica Maiestas *v.* Carolus V.
CALISSIENSIS (Caliski), 6, 42, 51, 53, 60, 62-3, 84-5, 93-4, 106-7, 122, 138, 183, 193.
CAMENENSIS, 66.

Camioncensis (Camionczensis, Kamionacensis), 10, 14.
Capodistria *v.* Iustinopolis.
Caput Viride (in Africa), 5.
Carafa *v.* Paulus IV.
Carolus V (Caesarea et Catholica Maiestas), 148.
Casanenses (Cozanenses) Tartari, 41.
Casimirus Magnus, 191.
Cassovia, 41.
Cassubae, 74.
Castaldo (Gastaldo) Ioannes Baptista, militum caesarianorum praefectus, 32.
Catharina regina Pol., 6, 31-2, 70, 121.
Cauna (Cauuna), Kowno, Caunensis (Cawnensis), 98, 119, 121, 131-2, 155, 169, 183.
Chelmensis, 130, 136-7, 139-40, 142, 145, 170.
Chodkiewicz Hieronymus, cast. Trocensis, cap. gen. Samogitiae, 14, 28, 35, 52, 82, 84-6, 112-3, 118-9, 123-4, 128, 146, 175, 180-1, 183.
Chodkiewicz Ioannes Hieronymus, cast. Vilnensis, 202.
Chortica, castrum, 133.
Christiana Respublica, Christianitas, Christianus Orbis, 64, 69, 91, 142.
Christianus III rex Daniae, 110-1.
Christophorus dux Megapol., 65-6, 68, 70, 83.
Chrostowski Ioannes, 115, 122.
Chwalczewski Petrus, cap. Cnissinensis, 181, 183, 193.
Ciechanów, Ciechanoviensis (Cziechanowski), 11, 143.
Cikowski (Czykowski) Stanislaus, militum ductor, 38.
Clivia, 110.
Cnissinum (Knissinium, Kniszin, Knyssyn, Knyssyna), Cnissinensis, 3, 4, 181-3, 193.
Coadiutensis *v.* Kocice.
Cochanowski *v.* Kochanowski.
Colensis, 105.
Colnensis, 146.
Colomiensis (Colomicensis), 6, 49, 202.
Conarski dominus *v.* Konarski.
Conin, Coninensis, *v.* Konin.
Constantinopolis, 5, 49.
Corcyraeus *v.* Lismaninus.
Cosczielecz *v.* Kościelecka, Kościelecki.
Covaliensis *v.* Lwowska.
Cozanenses (Tartari) *v.* Casanenses.
Cracovia, Cracoviensis, 7, 19, 29, 36-41, 43, 45, 47, 64, 81, 91-2, 99, 100, 102, 106-7, 109, 111-4, 124-5, 129, 148, 157, 159-61, 164-7, 170, 172-3, 175-6, 178-9, 185, 188-9, 202.
Crasnostavia (Crassnistaw), 156-7, 159.
Croatia (Croacia), 37.
Crokaw Reinholdus, 67.
Cromerus Martinus, custos Vislicensis, 27, 147-8.
Cuiaviensis, 106.
Culmensis, 9, 13-4.
Curdzbach *v.* Kurzbach Ioannes.
Curio Horatius, 153-5, 157, 159, 164, 202-3.
Cyrus *v.* Theodoretus.
Czarliński Ioannes, servitor Lucae a Górka, 167.
Czema Achatius, pal. Marienburg., 33, 121, 127, 151.
Czerniejowski (Czernyeiowski) Matthias, 24.
Czicz Isaac, 161.
Cziechanowski *v.* Ciechanów.
Czykowski *v.* Cikowski.

## D

Dachowski Stanislaus, aulicus regius, 133.
Damczan (Domczan) Augustinus, civ. Caunensis, 155, 183.
Damerau (Domeran, Dammerau) Augustinus, civis Caunensis, 155, 183.
Danaborz, 55.
Dani, 110.
Dlugossius Ioannes, 190.
Dohna, dominus, a, 153.
Dołgi, 67.
Domanowski Ioannes, ep. Samogitiae, 152, 175.
Domeran *v.* Damerau.
Dominic Caspar, nob. Croatus, praef. arcis Moran, 37.
Donemberk *v.* Nörenberg.
Dowojna Stanislaus, pal. Polocensis, 45.
Drohojowski Ioannes, ep. Cuiaviensis, 106.
Dubinki *v.* Radziwiłł Nicolaus « Rufus ».
Dulski Ioannes, 203.
Dyrwianensis, Dyrwanensis, 119.
Działdowski (zamek), *v.* Soldaviensis.
Dzierżanowski Paulus, nob. Ploc., 120.
Dzierzgowski (Dzyerzgoff, comes a) Nicolaus, archiep. Gnesn., 57, 94-6, 122-3, 171-2.
Dzyula *v.* Gyula.

## E

Ejragoła (Eyragola), 85-6.
Elbinga, Elbingensis, 27, 40, 61, 106-7, 169, 194.
Elisabetha I reg. Angliae, 178.
Elisabetha, comitissa Hennebergensis, marchionissa Brandenb., 3-4, 6, 13, 23, 27, 36.
Else *v.* Oleśnica.
Emda (Aemda), 20-1.
Euc Istvan (Eucystwan), cap. in Gyula, 40-1.
Europa, 133.
Eyragola *v.* Ejragoła.

## F

Falkenhan, dominus, 153.
Ferdinandus I rex. Rom., *postea* imp. (Caesarea Maiestas), 6, 8-9, 13, 18, 27, 37-8, 41, 71, 97-8, 130, 133-4, 139-41, 147, 156-7, 159, 164, 170, 194.
Fiedor, 182.
Filak *v.* Vylok.
Finck (Fink) Albertus, iudex Hohensteinensis (Olsthinensis), 26, 46, 54, 60, 105, 181.
Firstenbergius *v.* Fürstenberg.
Flandria, 97.
Florentini, 32.

FORTENBACH *v.* Furtenbach.
FRANCIA *v.* Gallia.
FRANCONICUS, 147-8.
FRANKONOWSKI Ioannes, 166.
FRISIUS (equus) 164, 167, 170, 196.
FUNCK (Functius) Ioannes, concionator ducis Alberti, 50-1.
FÜRSTENBERG (Furstenbergius, Firstenbergius) Gulielmus, Theutonicorum Ordinis per Livoniam magistri coadiutor, *postea* Ordinis in Livonia magister, 67-8, 70-1, 125, 135.
FURTENBACH Bonaventura, 194.
FURTENBACH (Fortenbach) Christophorus, 164-5, 194.

G

GALEN Henricus, a, magister Ordinis Theut. in Livonia, 19-20, 46, 55, 59, 65, 67-8, 70, 72-3, 75-8, 80-1, 83-5, 101-3, 116-7.
GALLIA (Francia), Galli, 31-2, 49, 62-3, 138, 178, 203.
GALLORUM rex *v.* Henricus II.
GANS Balthasar, 59.
GARDINSKI, dominus, 105.
GASTALDO *v.* Castaldo.
GEDANUM, Gedanenses, 38, 56, 62, 106-7, 125, 127, 150, 188-9.
GEORGIUS, « fur et nebulo », (Iurek *alias* Wocziech), 181.
GEORGIUS FRIDERICUS, marchio Brandenburg., 141, 148, 165.
GERMANIA, Germani, Germanicus, 28, 32, 36, 38, 41, 46, 103-4, 110, 133, 136, 188, 201-2.
GERMANICE scriptum, Germanica versio, 14, 28, 49, 59-60, 114-5, 153, 161-2, 167, 169, 177, 202-3.
GIECZ Ioannes, nob., 112-3.
GLINKI, pagus, 14, 17.
GNAPHEUS, dominus, 20.
GNESNA (Gnisen), Gnesnensis, Gneznensis, 57, 94-5, 105, 114, 122-3, 129, 148, 161, 165-6, 184, 188.
GOBLONSKI (Jabłoński?) Christophorus, 193.
GOLENIA *v.* Potrykowski.
GOLIŃSKI *v.* Gołyński.
GOLUCHOVIA, 151.
GOŁYŃSKI (Goliński) Iacobus, 105.
GOŁYŃSKI (Goliński) Ioannes, 105.
GOŁYŃSKI (Goliński) Stanislaus, 105.
GOŁYŃSKI (Goliński), 139.
GÓRKA (Gorca) Andreas, a, cast. Posnan., 19, 31-2.
GÓRKA (Gorcanus) Andreas, a, iunior, cap. Valecensis, Colensis et Gnesn., 105, 163.
GÓRKA (Gorca) Lucas, a, cast., *postea* pal. Brestensis, *postea* pal. Lanciciensis; cap. Buscensis, 35, 39, 56, 60-1, 80-1, 89-90, 100-1, 115, 117-8, 155, 161, 164-7.
GORZNO, 29.
GRABIENICENSIS (parochia), 66.
GRADOWSKI Ioannes, 119, 169.
GRĄDY, 28.
GRAECUS, 177.
GRODNO, 182.
GRODZICKI Ioannes, 38.
GRODZISKO, 25, 43-4, 63, 152, 184-5, 194-5, 203.
GROT, amicus Caspari Radłowski, 97.
GRUCZMACHER Franciscus, 154.
GRÜNWEG (Grunwek) Ditricus, 130.
GULIELMUS dux Cliviae, 110-11.
GULIELMUS marchio Brandenb., archiep. Rigensis, 50, 59-60, 65, 68-75, 77-8, 80, 83-5, 88-90, 92-3, 101, 103, 109-10, 129, 135-6, 139, 142, 154.
GUSTAVUS I rex Sueciae, 55, 145.
GYULA (Dzyula), arx in Hungaria, 40.

H

HAB, sinus maris, 45, 64.
HALEP *v.* Aleppo.
HALICIENSIS, 6, 49, 202.
HANSA (Anza), Hanseaticus, 87, 145, 150.
HEDECK *v.* Heideck Samuel.
HEIDECK, baro ab, 148.
HEIDECK (Hedeck) Samuel ab, 114.
HEIDECK (Heidyk) Volfgangus, ab, 15, 17, 156.
HEILIGENBEIL, 153-4.
HENNEBERGENSIS comitissa *v.* Elisabetha comitissa Hennebergensis.
HENRICUS II rex Galliae, 31, 49, 138, 178.
HENRICUS dux Brunsvicensis, 19-20.
HENRICUS, servitor ducis, 105.
HERBERSTEIN Sigismundus, ab, 167.
HERBURTH Iacobus, 29.
HERMANN Valentinus, civis Elbingensis, 27.
HERMENSDORFF (Hermesdorffen), vidua, 12.
HIRSCHBERGER (Hirsperger) Fridericus, 175.
HISPANIA, 178.
HOFFMANN Henricus, 50.
HOFFMANN Ioannes, iuris doctor, 65.
HOHENDORFF (Hondorffius) Georgius, cap. Iohannisburgensis, 153-4.
HOHENSTEINENSIS (Olsthinensis), 46, 54, 105
HONDORFFIUS *v.* Hohendorff.
HOSIUS Stanislaus, ep. Varmiensis, 124, 156-7.
HUNGARIA (Ungaria, Vegry), Hungaricus (Ungaricus), 30-1, 36, 39-41, 48-9, 62-3, 77, 171, 180, 196-8.

I

IACOBUS Heraclides Basilicus, despota Sami, 151.
IASVONENSIS, 121.
IŁOWSKI Alexander, cast. Zakroczymensis, 10-11, 14, 17, 28, 72, 156.
INOVLADISLAVIENSIS, 60.
INSTERBURGENSIS (Instemburgensis), 33.
IOACHIMUS elector Brandenburg., 148.
IOANNES ALBERTUS I dux Megapolen., 42, 51, 132-3.
IOANNES IV Basilides dux Moscorum, 49.
IOANNES marchio Brandenburgen., 148.
IOANNES SIGISMUNDUS, f. regis Hungariae Ioannis, 40-1, 49, 63, 171-2, 180, 197-8.
IOANNES (Ianussius) Zápolya, rex Hungariae, 40, 63, 171, 197-8.

IOANNIS Baptistae dies, 76.
IOHANNISBURGENSIS (Johansburgensis), 33, 146.
IONAS Andreas, aulicus ducis Alberti, 66.
IONAS Christophorus, doctor, consil. ducis Alberti, 52-3, 171-2, 203.
IOVIS dies, 76.
ISABELLA Jagellonica, reg. Hungariae, 41-2, 63, 180, 197-8.
ISRAEL, Iudaeus Posnaniensis, 179.
ISTULA *v.* Vistula.
ITALIA, Italicus, 30-1, 64, 163.
IUDAEI, 165-6, 169, 179.
IULIUS III P.M., 32.
IURBORGENSIS, 173.
IUSTINOPOLIS (Capodistria), Iustinopolitanus, 91.
IWANOWICE, 179.

J

JABŁOŃSKI *v.* Goblonski.
JAGELLO rex Pol., 190.
JALDAVIENSIS *v.* Soldaviensis.
JANÓW, 111.
JAROMĚŘ (Jaromirs), opp. in Bohemia, 8.
JASIEŃSKI Albertus, tywunus Vilnensis, cap. Uspoliensis, 161.
JOHANSBURGENSIS *v.* Iohannisburgensis.
JORDAN Spytek de Zakliczyn et in Melsztyn (Melstin), cast. Sądecensis, R.P. thesaurarius, cap. Premisl. et Camioncensis, 9-10, 13-4, 37-8.
JUNOSZA Ioannes, succamer. Wisegradensis, 105.
JURA fl., 119.
JUREK *v.* Georgius fur.

K

KAMIONACENSIS *v.* Camioncensis.
KAZIMIERZA MAŁA (Parva Kazimierza, Parva Casimirza), 177-8.
KINISBERGER (Königsberger?), cap. Cassoviensis, 41.
KMITA, Lithuanus, 78.
KNISSINIUM, KNISZIN *v.* Cnissinum.
KNOPFF Conradus, 194.
KNYSZYN KNYSSYNA *v.* Cnissinum.
KOBRZA Petrus, cap. Nithboriensis, 105.
KOCHANOWSKI (Cochanowski) Ioannes, 64-5.
KOCICE (Koczicze, Koadiuty), Coadiutensis, 27, 52.
KOKENHAUSEN (Kockenhausen), 74-5, 80, 84, 86.
KONARSKI (Conarski), 24, 197.
KONARSKI Christophorus, aulicus regius, 102.
KONARSKI Marcellus, cubicularius ducis Alberti, 4, 6, 48.
KONIECKI (Konieczki), amicus Caspari Radłowski, 97.
KÖNIGSRERG *v.* Regius Mons.
KÖNIGSBERGER *v.* Kinisberger.
KONIN (Conin), Koninensis (Coninensis), 56-8, 94-6.
KONOPACKI Raphael, cast. Elbingensis, 169.
KONOPAT, 169.
KORSBOK, Korzbok *v.* Kurzbach.
KOŚCIELECKA (de Cosczielecz) Beata, 7.
KOŚCIELECKI (de Cosczielecz) Andreas, pal. Lanciciensis, 8.
KOŚCIELECKI (de Cosczielecz) Ianussius, pal. Sirad., 8, 55, 66, 95-6, 115-6.
KOSTKA Ioannes, cast. Gedanen., 125.
KOSTKA Stanislaus, pal. Culmen., thesaurar. Prussiae, 9, 12-4.
KOWNO, *v.* Cauna.
KOŹMINEK, 3.
KRAŚNIK, 45.
KRESA arx, 84.
KRESELA *v.* Krösten.
KŘINECKY *v.* Skrzynecki.
KROSNO (Krossen), 202.
KRÖSTEN (Kresela) Georgius, a, cap. Lecensis, 181, 183.
KROTOWSKI Ioannes, cast. Inovladislavien., 60.
KROŻE, 114, 138, 154.
KRUPISZKI (Kupiski), 87.
KRZYKOWSKI (Krzikowski) Stiborius, canc. praef., 140-1.
KRZYNECKI *v.* Skrzynecki.
KRZYŃSKI Samson, 28.
KRZYWINENSIS *v.* Zborowski Martinus, iunior.
KRZYŻANOWSKI (Krzizanowski) Bartholomaeus, 98.
KUMELSKI, 97.
KUNCEWICZ Constantinus, homicida, 98, 120-1.
KUNCEWICZ Ioannes, cap. Iasvonensis, 121.
KUNHEIM Erhardus, a, 27, 117, 125, 127, 145-6.
KUNZE (Kuncze) Ioannes, tenut. telonei Caunensis, 98.
KURKLE, Kurklensis, 129.
KURTOWIANY, 157, 173, 184.
KURYŁOWSKI (Kurilowssky) Matthias, 201.
KURZBACH (Korsbok, Korzbok) Witkowski Alexander, 43, 114, 129, 148, 161, 185-6.
KURZBACH Anna, vidua Alexandri, 114, 129.
KURZBACH (Curdzbach, Korsbok, Korzbok) Witkowski (de Vitkowo) Ioannes, decanus Gnesnen., can. Cracov., 43, 114, 129, 148, 161, 166, 184, 185.
KWIATKOWSKI (Quiatkovius) Martinus, 172, 178.

L

LABIAU (Labia), arx in Prussia, 52.
LACEDAEMONIENSIS, 135.
ŁĄCKI (Łanczky) Casparus, servitor Nicolai Radziwiłł, pal. Viln., 43, 55, 59-60, 66, 72-3.
LANCICIA, Lanciciensis (Lenciciensis, Leciciensis), 8, 46, 54, 60, 149, 155, 161, 164, 165-7, 181, 196, 199.
ŁĄNCZKY *v.* Łącki.
ŁASKI Ioannes, archiep. Gnesnen., 190-1.
ŁASKI (a Lasco) Ioannes, reformator, 20-1, 120-1, 151, 153-4, 160, 171, 177, 195.
ŁASKI Nicolaus, incisor regius, 150, 170, 196.
LASOTA Christophorus, 162, 167.
LASZKI *v.* Tarło.

LATALSKI Ianussius, pal. Posnan., 95-6.
LATINUS, 32, 178.
ŁAWSKI Stanislaus, de Strzegocino (Sthrzegoczino), pal. et vicesgerens Masoviae, 33-4, 105, 120, 134, 143.
ŁAWY (Lavi), 134.
LEBIEDA (Liebieda), 123-4.
LECENSIS (Leczki), 15-6, 45, 181, 183.
LECICIENSIS *v.* Lancicia.
LEMSAL (Lemsella) arx, 110-11.
LENCICIENSIS *v.* Lancicia.
LEOPOLIS, Leopoliensis (Lwowski), 24-5, 49, 179, 196, 198.
LESZCZYŃSKI (Leschtzinsky) Raphael, heres in Leszno et Rozrażew, cast. Prementensis (zu Prinent), cap. Radzieioviensis, 151, 154-5.
LESZNO (Liessa), 154-5.
LEWOCZA (in Hung.), 63.
LEY von der *v.* Neuenhilfe.
LIDENSIS, 46.
LIEBIEDA *v.* Lebieda.
LIESSA *v.* Leszno.
LIPPOMANUS Aloisius, leg. pontificius in Pol., 57, 79.
LISMANINUS (Lisimannus) Franciscus, Corcyraeus, 99, 106-7, 152.
LISOWO (Lissowo), 50-1.
LISSA (Lise) ad Albim, 7-9.
LITHUANIA (Lituania, Lithwania), Lithuanus, Lithuanicus, 3-4, 13, 17, 27, 34-6, 39, 41, 51-2, 57, 67, 71, 76, 78, 84, 86, 98, 109-10, 120, 132-3, 136-7, 151, 158-9, 176, 186-9, 200.
LIUBLIN *v.* Lublinum.
LIUTHOMIRSKI, LIUTHOMIRSKO *v.* Lutomirski, Lutomirsko.
LIVONIA, Livones, Livonienses, 19-20, 46, 55, 59, 65-8, 70-3, 75-8, 80, 82-6, 91, 94, 101-4, 109-10, 116, 121, 124-5, 129-33, 135-6, 139, 142, 179.
LOHMÜLLER Ioannes, consil. et nuntius ducis Alberti, 55.
LOIS Simon, 125.
ŁOKNICKI, aulicus ducis Alberti, 109.
ŁOMŻA, Lomzensis (Lomzienski), 15-6, 30, 33-4, 146.
LUBLINUM (Liublin), Lublinensis, 6, 9-10, 17, 22, 157-9, 179, 202-3.
LUBSTACENSE territ., 149.
LUDOVICUS rex Poloniae et Hungariae, 186, 190.
ŁUKNICKI Ioannes, 14.
LUNDISCH, 161.
LUPSIŃSKI Andreas, servitor comitum a Górka, 105.
LUTOMIRSKI (Lyutomirski, Lywthomyrski), Ioannes, thesaur. curiae regiae, cast. Ravensis, 37, 98-9, 111-2, 149, 172.
LUTOMIRSKI (Liuthomirski) Stanislaus, pastor Koninensis, secr. regius, 56-7, 94, 96, 170, 172, 177-8.
LUTOMIRSKO (Liuthomirsko), 170, 172.
LÜTZEN (Lyuczen), 87.
LWOWSKA Ursula, de Sieprc, cast. Covaliensis, 25-6, 54, 181, 196, 199, 203.
LWOWSKI *v.* Leopoliensis.
LYASZKI *v.* Tarło.
LYUCZEN *v.* Lützen.
LYUTOMIRKI *v.* Lutomirski Ioannes.
LYWTHOMYRSKI *v.* Lutomirski Ioannes.

## M

MACIEJOWICE (Maczieiowicze), 116-7.
MACIEJOWSKI Nicolaus, 116.
MACIEJOWSKI (Maczeiowski) Samuel, ep. Cracov., 170.
MACIEJOWSKI Stanislaus, aulae regiae marsalcus, 98-9.
MACZIEIOWICZE *v.* Maciejowice.
MAGDEBURGENSIS, 110, 191.
MAKOWIECKI (Makowieczki), 97.
MARGARITA (Malgorzata) s., 87.
MARIA Tudor, reg. Angliae, 178.
MARIAE s. Visitationis dies, 76, 156.
MARIENBURGUM, Marienburgensis, 28, 32-3, 40, 43-5, 59, 98, 106, 121, 127, 151.
MARTINI s. dies, 34, 202. ,
MASOVIA (Mazovia), Mazoveczka ziemia, 3, 10-2, 33-4, 105, 120, 134, 143, 184.
MATTHAEUS s., 198.
MAURITIUS dux Saxoniae, 24.
MECKELBURGK *v.* Megapolis.
MEDNICENSIS, 120, 152.
MEGAPOLIS (Meckelburg), Megapolensis, Megapolitanus (Melkerburgensis), 23, 42-3, 51, 59, 65, 70, 83, 132, 202.
MEIDZICHUTT *v.* Międzychód.
MELLEN *v.* Mielno.
MELSZTHIN *v.* Jordan.
MEMEL (Mimel, Mimmel), Mimelensis (Mymelensis), 28, 52, 123.
MESTRAN Ioannes, civis Regiomontanus, 146.
MIĘDZYBÓRZ (Miedzybosiensis arx), 48, 201-2.
MIĘDZYCHÓD (Meidzichutt), 163.
MIEDZYRZECENSIS (Miedzirzecensis), 30, 75.
MIELECKI Ioannes, pal. Podoliae, 172, 200.
MIELNO (Mellen), bona, 54, 60, 181, 196, 199.
MIETHA, fl., 182.
MIKICZIN *v.* Pęski.
MIMEL, Mimmel, Mimelensis v. Memel.
MISCHKOWSKI *v.* Myszkowski.
MODLISZEWSKI Hieronymus, cap. Lomzensis et Colnensis, 146.
MOHILOVIENSIS, 120.
MOLDAVIA (Moldawsky), 40, 49, 77, 79, 196-8, 200.
MOLLER Fabianus, 130.
MONS REGIUS *v.* Regius Mons.
MORAN, arx, 37.
MORAWICA (Moravicium), 91-2.
MOSCOVIA, Mosci, Moschi, Moscovitae, 40-1, 48-9, 55, 158-9, 167.
MULTANIA, 49.
MÜNSTER Casparus, marsalcus ducis Alberti, a, 67-72.
MURZYNOWSKI *v.* Suszycki.
MUSSA (Musa), fl. 88-9.
MUSTAPHA, f. Solimani II sultani Turcarum, 4-5.
MUTYŃSKI (Muthinsky) Iacobus, 152.
MYMELENSIS *v.* Memel.
MYSZKOWSKI (Mischkowski) Stanislaus, praef. Marienburg., incisor Regni Pol., 32, 98.
MYSZKOWSKI Stanislaus iunior, cap. Marienburgen., 106.

## N

NARVA, 55.
NEIDENBURGENSIS (Nithboriensis), 105, 166.
NEKLA, pagus, 66.
NEUENHILFE, Christophorus, von dem (appellatus von der Ley), marsalcus Ord. Theut. in Livonia, 133.
NICOLAUS presbyter, 180.
NIEDŹWIADNA, 72, 156.
NIEGOLEWSKI Iacobus, 48.
NISSENUS *v.* Pusch.
NITHBORIENSIS *v.* Neidenburgensis.
NÖRENBERG (Noremberk, Donemberk) in Pomerania, 86-7.
NORIMBERGENSIS (Norembergensis), 74, 165.
NOSKOWSKI Andreas, ep. Plocensis, 10-2, 15, 17, 29, 53, 184, 195.
NOVA CIVITAS, 177.
NOWOWIEJSKI Martinus, 176.
NOWOWIEJSKI Martinus iunior, 117, 176.
NYEDZWYADNA *v.* Niedźwiadna.

## O

OBERESCH Ioannes, Germanus, 46.
OBORNICKI Gregorius (*vel* Georgius), 54.
OBORSKI Albertus, f. Petri, 199.
OBORSKI Petrus, cap. Birzensis, 109, 111, 199.
OCIESKI (de Oczieschino) Ioannes, R.P. canc., 10, 12, 31-2, 37-8, 47, 64, 101, 103-4, 107-8, 124-5, 127, 130, 134-7, 139, 145, 158, 162, 166.
ODOLANÓW, Odolanoviensis (Odalanoviensis, Oddalanoviensis, Odalanowski), 63, 85, 94, 107, 138, 153.
OLEŚNICA (Oels, Else), opp. in Silesia, 8.
OLSTHINENSIS *v.* Hohensteinensis.
ONIKSZTY (Onixti, Onixium), 83-4, 130-2.
ONIXIUS, fl., 130.
OPORÓW, 105.
ORTELSBURGENSIS cap., 193.
OSIEK (Ossiek), 102-3.
OSTERODE (Ostrode), 199.
OSTROCENSIS, 149-50.
OSTRÓG, arx, 7.
OSTROGSKA Elisabetha, 6-7.
OSTROGSKI Basilius (Vasilo), dux in Ostrog, 7.
OSTROGSKI (de Ostrog) Helias (Illias), 7-8, 131.
OSTRORÓG, bona 30, 120.
OSTRORÓG Iacobus, 30, 40, 54, 79.
OSTRORÓG (a Scharffenorth) Stanislaus, cast. Miedzirzecensis, 3, 25, 30, 40, 43-4, 63, 75, 115, 120, 152, 154, 160, 163, 176, 184, 186, 194-5, 203.
OTTOMANORUM familia, 5.
OTWINOWSKI Erasmus, legatus reg. Pol. apud Turcas, 138.

## P

PARCZÓW (Parczovium), 12-3.
PARVA KAZIMIERZA *v.* Kazimierza Mała.
PATAVINUS, 38.
PATRASCU cel Bun (Petrus Bonus), pal. Valachiae, 49, 79.
PAULUS IV (Carafa) P.M., 95-6.
PELKEN Ioannes, civis Gedanensis, 62.
PERECOPIENSES (Praecopienses) Tartari, 42, 49.
PERÉNYI (Perenni) Gabriel, 31.
PERSIA, Persae, 5, 49.
PERUSZICZ, praef. militum episcopi Varadin., 40.
PĘSKI Stanislaus in Mikiczin, 193.
PETRICOVIA (Piotrkovia), Petricoviensis, 41, 46-7, 77, 94, 164-5, 167, 170-3, 188.
PETRASZEWICZ Augustinus, Samogita, 183.
PETROWICZ Petrus, thesaurar. Hungariae, 40.
PETRUS s., 192.
PHILIPPUS I dux Pomer., 23.
PHILIPPUS II rex Hisp., 178.
PIASTÓW, 10, 11.
PIAWIESA v. Piewasa.
PIĘKOSZEWO (Pienkoszewo), 138.
PIERZCHLIŃSKI Stanislaus, 97.
PIEWASA (Piawiesa), fl., 88.
PIŃSK, 182.
PIOTRKOVIA *v.* Petricovia.
PITAW, bona, 150.
PLEMIĘCKI (Plemienczki) Ioannes, 135.
PŁOCK, Plocensis (Płoczki), 10-12, 15, 26, 29, 32, 43-4, 53, 120, 135, 143, 156, 184, 195.
PLOTELLENSIS, 181.
PŁOTOWSKI Nicolaus, 124.
PODOLIA, 133, 153, 172, 200.
POHIBEL Bernardus, Gabrielis Tarło servitor, 131-3.
POJURENSIS (Poyurensis), 123, 128.
POŁĄGA (Polange), 169.
POLENZ (Polentz) Christophorus (*alias* Theophilus), cap. in Schönberg (Schimbark, Szymbarski), 25-6, 54, 203.
POLEY Matthias, 30, 32, 39.
POLOCENSIS, 45.
POLONIA, POLONI, *passim*.
POLTOVIA, 12, 53, 184, 195.
POŁUBIŃSKI (Polulubyensky, Polubyenski) Alexander, regius cap. exercitus Tartarorum, 86-7.
POMERANIA (Pomeren), 18, 23, 74, 86, 202.
POMORZANY, 29.
POSNANIA (Poznania, Posen), Posnaniensis, 18, 30-2, 35-6, 38-40, 53-4, 56, 85, 77-81, 89-90, 95, 100-1, 105, 115-8, 155, 160-1, 164-7, 172-3, 175, 179.
POTRYKOWSKI (Potrikoski) Golenia, nob. Plocensis, 143.
POYURENSIS *v.* Pojurensis.
POZWOL (Poswol, Poswolie), 132-5.
PRAECOPIENSES *v.* Perecopienses.
PRAGA, 7-8, 147-8.
PREMISLIENIS (Praemislienis, Przemisliensis), 10, 29, 131-3.
PRINENT *v.* Leszczyński.

PRETWICZ (Prethphicz, Prittwitz) Bernardus, cap. Barensis, 24, 155.
PROTASEWICZ Valentinus, ep. Vilnensis, 194.
PRUSSIA, PRUTHENI, *passim*.
PRZEMISLIENSIS *v*. Premisliensis.
PRZEREMBSKI (Przerempski) Ioannes, R.P. vicecanc., 3, 4, 6, 9, 13, 17-8, 21-3, 25-30, 32-8, 42, 45, 47, 50, 54, 56-7, 61-2, 64, 66-7, 89, 102, 104, 117, 122, 126, 130, 136-7, 139-42, 145-6, 156-7, 162-3, 171.
PUSCH Bartholomaeus, civis Nissenus, 45.

## Q

QUIATKOVIUS *v*. Kwiatkowski.

## R

RĄBIŃSKI, amicus Caspari Radłowski, 97.
RADŁOWSKI Casparus, reginularum Pol. cubicularius, 97-8.
RADOMIENSIS, 65.
RADZIEIOVIENSIS, 151.
RADZIWIŁŁ (Radzyvyl) Nicolaus « Niger », pal. Vilnen. 41-3, 50-3, 55, 65-8, 70-6, 83, 89-91, 98, 109, 111, 129, 150-1, 155, 183.
RADZIWIŁŁ Nicolaus « Rufus », dux in Dubinki et Birże (Bierze), pal. Trocensis, 46, 75, 78, 82-3, 86-9, 109-11, 199.
RAGNETHA, Ragnetensis (Ragenensis), 52, 112-3, 119.
RAJGRODENSIS (Raygroczki), 45, 182.
RAKÓW, 120.
RAKOWSKI, amicus Caspari Radłowski, 97.
RASTENBURGENSIS, 156.
RAVENSIS, 10-1, 98-9, 111-2, 149, 172.
RAYGROCZKI *v*. Rajgrodensis.
REGIUS MONS, Regiomontum (Königsberg), Regiomontanus, 55, 57, 62, 64-5, 94, 96, 100, 117, 119, 124, 146, 155, 157, 167, 172, 174, 176, 179, 181, 191.
REWNIN *v*. Rzewnin.
RIGA, Rigensis, 50, 59, 65, 67-75, 77, 80, 83-6, 88-90, 92-3, 101, 109-10, 129, 135-7, 142, 154.
RIKA Iacobus, proconsul Elbingensis, 61.
RINDA Stanislaus, nob., servitor ducis Alberti, 48.
ROGOSNENSIS, Rogoznensis, 32, 50-1, 54, 77-8, 105, 137, 166.
ROMA, Romani, 6, 8-9, 13, 18, 27, 37-8, 41, 71, 95, 130, 133-4, 139-41, 170, 177, 192.
ROMANENSES, Romanistae (Catholici Romani), 57, 96.
RONNENBURG, Ronnenburgensis, 59-60.
ROSTHEMBASSA, Rosthumbassa *v*. Rustan Bassa.
ROZRAŻEW, 154-5.
RUDNIKI (Rudnyky), 68, 73.
RUFFUS, cap. Nithboriensis, 105.
RUGIA, 11, 74.
RUSSIA, Ruthenus, 4, 6-7, 27, 30, 48-9, 51, 63, 84-5, 138, 187, 201-2.
RUSTAN Bassa (Rosthembassa, Rostumbassa), 5, 6, 170-1.
RUSZKOWO, villa, 135.
RUSZKOWSKI familia, 135.
RUSZKOWSKI Vincentius, stipator regius, 149-50, 170.
RYNGENSIS cap., 152.
RZEWNIN (Rewnin), 11.

## S

SĄDECENSIS (Sandeczensis), 9, 10, 13-4.
SAŁATY (Salata), opp, in Samogitia, 78, 84-5, 88, 132.
SAMI despota *v*. Iacobus Heraclides Basilicus.
SAMOGITIA, Samogita, Samogitiensis, 14, 28, 35, 51-2, 82, 85-6, 112-3, 118-9, 123-4, 128, 146, 169, 175, 180-1, 183.
SANDECZENSIS *v*. Sądecensis.
SANDOMIRIA, Sandomiriensis (Sendomiriensis), 40, 175.
SANGUSZKO (Sanguskowicz) Demetrius, 6-9, 84, 131.
SANGUSZKO (Sanguskowicz) Iaroslaus, 84.
SANGUSZKO (Sanguskowicz) Romanus, 84.
SARNOWO, 25-6.
SBOROW, Sborowski *v*. Zborowski.
SCEPUSIUM, 37.
SCHACK Venceslaus, orator ducis Alberti apud regem Pol., 162.
SCHARFFENORTH *v*. Ostroróg.
SCZEKARZOWICE *v*. Tarło.
SCHIDLOVIENSIS, Sidloviensis, 8, 63, 85, 94, 107.
SCHIMBARK *v*. Polenz.
SCHUTZBAR Volfangus, magister Ord. Theut., 103-4.
SCHWARCZ Albertus, civis Caunensis, 119.
SCHWOLLE Iacobus, a, 59.
SCLAVI, 180.
SECLUCIANUS Ioannes, 149.
SENENSES, 32.
SENDOMIRIENSIS *v*. Sandomiria.
SERBI, 180.
SHOVKIANI *v*. Szawkiany.
SIDLOVIENSIS *v*. Schidloviensis.
SIELEŃSKI (Sieliensky) Adrianus, 198-9.
SIENIAWA, 202.
SIENIAWSKI (a Szieniawa) Nicolaus, pal. Russiae, exercituum R.P. campestris capitaneus, cap. Haliciensis et Colomiensis, 4, 6, 48-9, 201-2.
SIENIAWSKI (Syenyawsky, a Szyeniawa) Procopius, dapifer Leopol., 24-5, 49, 179-80, 196, 198.
SIENIEŃSKI Ioannes a Sienno, 29.
SIESICKI (Szieszíczki) Paulus, 175.
SIEPRC *v*. Brudzewska, *v*. *etiam* Lwowska.
SIEPRSKI Andreas, a Golczewo, pal. Ravensis, 10-11.
SIGISMUNDUS I rex Pol., 32, 158, 182.
SIGISMUNDUS AUGUSTUS rex Pol., *passim*.
SILESIA (Slesia), Silesiticus, 8, 187-9.
SIMONIS et IUDAE ap. festum, 166.
SIRADIENSIS (Syradiensis), 8, 55, 66, 95, 115-6.
SIRIA, 5.

Skaszewski Stanislaus, cap. in Kroże, Iurborgensis et Bothocensis, 114, 138, 154, 157, 173, 184.
Skoruczianka, 97.
Skrzynecki (Krzynecki, Skřinecký, Křinecký) Gulielmus, Bohemus, cap. Soldavien., 50-1, 111-4.
Sławkowo, villa, 135.
Slesia *v.* Silesia.
Śmigielska Sophia, 97.
Soborowski Ioannes, 177.
Sokołowski Christophorus, praef. Rogosnen., 32-3.
Soldaviensis, Działdowski (Jaldaviensis), 111-4, 199.
Solimanus II imp. Turcarum, 4-6, 40, 63, 77, 138, 170.
Songajłowicz (Songaylowicz) Nicolaus, Samogita, 112-3.
Sophi *v.* Tahmasp I.
Stemberg *v.* Kostka.
Stetinia, 74.
Srzeński Felix, pal. Plocen., 10-1, 15, 17, 26, 32-3, 43-4.
Sthrzegoczino *v.* Ławski.
Stobnica (Stobnicza) Stobnicensis, 6, 8, 42, 51, 60, 62-3, 84-5, 93-4, 107, 122, 138, 176.
Stradunski, 15-7.
Strasberg, 60.
Strauchfuss Christophorus, homicida, 193.
Strozzi (Strocza) Petrus, praef. militum regis Galliae in Italia, 31-2.
Strusiek *vel* Struś (Strucius) Iosephus, medicus, prof. univers. Patavinae, *postea* Cracoviensis, 38.
Strzegocino (Sthrzegoczino) *v.* Ławski.
Suecia (Swecia), 55, 145.
Suszycki (Murzynowski) Ioannes, 174-5.
Suszycki (Murzynowski) Nicolaus, 174.
Suszycki (Murzynowski) Stanislaus, 174.
Świsłocz, 14.
Sylistrienses Turcae, 49.
Syradiensis *v.* Siradiensis.
Szawkiany (Shovkiani), 146, 180-1, 183.
Szieniawa, Szyeniawa *v.* Sieniawski.
Szieszicki *v.* Siesicki.
Szymbarski *v.* Polenz.

## T

Tahmasp I Sophi (Zophi) rex Persarum, 5-6, 49.
Tapiensis, 26, 78, 122, 129.
Tarło Gabriel, cast. Radomiensis, magister curiae reginae, 65-6, 121, 131-2.
Tarło Nicolaus, de Sczekarzowice et in Laszki, signifer Premislien., 45, 131-3.
Tarnopolis, 29.
Tarnów, 173.
Tarnowski Ioannes, cast. Crac., exercituum R.P. cap., 19-20, 29, 47, 64, 81-2, 92-3, 102-3, 107, 111-4, 124-5, 172-3, 175.
Tartari (Tateren, Thateren) Tartaricus, 41, 48-9, 80, 86-7, 133, 201.
Tchórzewski Stanislaus, 55.
Tęczyński Ioannes Baptista, palatinides Crac., 46-7, 203.
Tęczyński (comes in Thanczin) Stanislaus, pal. Crac., 45, 91-2, 106, 109, 157, 159, 164-5, 202-3.
Tehinenses Turcae, 49.
Telsensis, 181.
Temesvár (Temeschwar), 40.
Thanczin *v.* Tęczyński.
Theodoretus, ep. Cyri, 177.
Theutonicorum (Teutonicorum) Ordo, 19, 67, 71, 76, 103, 116.
Thomicze, Thomycze *v.* Tomicki.
Thorunia (Thuronia), *v.* Torunia.
Thurcia *v.* Turcia.
Tilsa, 52.
Torunia, Thorunia (Thuronia), Torunium, 38, 174-5.
Tomice *v.* Tomicki.
Tomicka de Oporów Sophia, 105.
Tomicki de Tomice (Thomicze) Ioannes, cast. Rogoznen., 40, 50-1, 54, 77-8, 105, 137, 166.
Transilvania, 48-9.
Trepka Anna, Eustathii uxor, 195.
Trepka (Trepca) Eustathius (*vel* Eustachius), 25, 56, 63, 94, 120, 152, 163-4, 194-5.
Trocensis, 14, 28, 35, 46, 52, 78-9, 82-9, 109-10, 112-3, 118-9, 123-4, 128, 146, 175, 180-1, 183, 199.
Trzebuchowski Nicolaus, regii cubiculi praef., 149.
Tubinga, 178.
Turcia (Thurcia), Turcae (Thurcae), Turcicus, 4, 5, 31, 36-7, 40, 48-9, 63, 77, 79, 133, 138, 163, 170, 196-7.
Tuszów, 19-20.

## U

Ujazd, 61.
Ungaria, Ungaricus *v.* Hungaria.
Unieioviense castrum, Uniejów, 122-3.
Uspolliensis, 161.

## V

Valachia (Walachia), Valachus (Volosky), 40, 49, 79, 84-5, 196-7.
Valdenses, 160.
Valecensis, 105.
Vandali, 74.
Varadinensis, 40-1.
Varmiensis, 124, 156-7.
Varsavia, Varsovia (Warschavia, Warssavia), Varssoviensis, Varszowiensis, 78-80, 85, 93, 96, 101-4, 106-9, 111-2, 139, 159, 161-3.
Vasilo *v.* Ostrogski Basilius.
Vegorzewski *v.* Węgorzewski.
Vegry *v.* Hungaria.
Vellinensis, 71.
Veneris dies, 132.
Vergerius Petrus Paulus, ep. Iustinopolitanus, 90-1.
Vielbarg (Wielbarg), 111.

VIENNA (Wienna), 77.
VIERZIGHUBEN (Virzighuben, Wyerczkup), 43, 114,
VILKIENSIS *v.* Wilkija.
VILKYE *v.* Wilkija.
VILLEN Iacobus, civ. Regiomont., 179.
VILNA, Wilna, Vilnensis, Wilnensis, 17-9, 21-2, 25-36, 41-2, 45, 50-7, 61-2, 65-8, 71-6, 78-9, 83, 89-91, 98-9, 109-10, 112-3, 117-22, 124-7, 129, 132, 135-7, 139-42, 145-6, 149-52, 155, 161, 175, 183-4, 194-6, 199-200, 202-3.
VIRZIGHUBEN *v.* Vierzighuben.
VISKI *v.* Visnensis.
VISLICIENSIS, 27.
VISNENSIS (Viski, Wiski), 15-6, 30, 72.
VISSEGRODENSIS (Wisegradensis, Viszegroczki), 10-11, 105.
VISTULA (Istula), 38-40.
VISZEGROCZKI *v.* Vissegrodensis.
VISZNIEVIECZKI *v.* Wiśniowiecki Demetrius.
VITKOVO *v.* Kurzbach Ioannes.
VLADISLAUS (Wladislaus) III rex Pol. et Hung., 190.
VOGET Stanislaus, 109.
VYLOK (Filak, Willak), opp. in Hungaria, 31-2, 37-8.

W

WARSCHOVIA, Warssavia *v.* Varsavia.
WARSZEWICKI Stanislaus, 179.
WĘGORZEWSKI (Vegorzewski), « commendator Posnaniensis », 24.
WĘGRY *v.* Hungaria.
WENDEN, 71, 76, 109.
WIELBARG *v.* Vielbarg.
WIELOPOLSKI Stanislaus, 37.
WIENNA *v.* Vienna.
WILNA *v.* Vilna.
WIESIOŁOWSKI Ioannes, 176.
WIEWIÓRKA, 64, 81-2, 92-3, 113-4.
WILKANOWSKI Adam, cast. Vissegrod., cap. Ciechanov., 10-11.
WILKIJA (Vilkye), Vilkiensis, 82, 128, 181.
WISEGRADENSIS *v.* Vissegrodensis.
WISKI *v.* Visnensis.
WIŚNIOWIECKI (Visznievieczki) Demetrius, 133.
WITH Paul, Regiomontanus, 146.
WITKOWSKI *v.* Kurzbach.
WLADISLAUS *v.* Vladislaus.
WOJNIŁÓW (Wonylow), 49, 179-80.
WOLENECZ *v.* Wołyniec Matthias.
WOŁKINIKI, 42, 66.
WOŁŁOWICZ (Wolowicz) Eustachius, marsalcus et notarius Lith., 120, 167, 176, 195, 200.
WOLMARIENSES, 65.
WOLOWICZ *v.* Wołłowicz.
WOLSKI Sigismundus, 162.
WOŁYNIEC (Woliniecz, Wolenecz) Matthias, 100, 176.
WOŁYNIEC Sebastianus, 118, 177.
WONYLOW *v.* Wojniłów.
WORMANIS Seehen (lacus Wormiensis), 150.
WYERCZKUP *v.* Vierzighuben.

Y

YUREK *alias* Wocziech *v.* Georgius fur.

Z

ZABERDINUS Matthias, ep. Varadinensis, 40-1.
ZACROCZIMSKY *v.* Zakroczymensis.
ZAGÓRZE, 196, 198.
ZAHELAU Carolus, a, 59.
ZAKLICZYN *v.* Jordan.
ZAKROCZYMENSIS (Zacroczimsky), 10, 14, 17, 28.
ZAWADZKI Albertus, nob. Pol., 111.
ZAWISZA Ioannes, 157.
ZBLANY, 46.
ZBOROWSKI Ioannes, 153.
ZBOROWSKI (a Sborow) Martinus, pal. Caliss., cap. Schidlovien., Stobnicen, Odolanoviensis, *postea* pal. Posn., 6, 8, 42, 51, 53, 60, 62-3, 84-5, 93-4, 106-7, 111, 122, 138, 173, 176, 179.
ZBOROWSKI Martinus iunior, cast. Krzywinensis, 60-1, 200.
ZBOROWSKI Petrus, 81.
ZOPHI *v.* Tahmasp I Sophi.

# TABULAE

TAB. I


Illustrissime Princeps Domine et domine perpetua ob:
seruantia Colendissime Gratiam Dei. Salutem
et spiritum fortitudinis cum florenti Imperij
et Ecclesiae pace Illustrissimae Celsitudini Vestrae
per Jesu Christi merita ex animo precor.
Commendatis officijs meis in gratiam Celsitudinis Vestrae.
Illustrissime Princeps: Significo gratam et periucundam
mihi hic fuisse consuetudinem cum Generoso Viro
domino Vilhelmo Skrzynijecski simul et cum doc:
tissimo Celsitudinis Vestrae concionatore Johanne Fun:
ckio. Quibuscum de sacrosancto religionis negotio
fraterne saepius colloquutus. id quod summe cupiebam
quum assecutus essem, continere me nullo modo potui
quin has praesentes literas testes obseruantiae meae er:
ga Illustrissimam Celsitudinem Vestram scriberem. Eisque mihi
verae Christiani gaudij significarem quali ex con:
ciliatione ecclesiarum affectus sum. Quo Celsitudinis
Vestrae ardor in ecclesia Dei magis magisque incale:
scat post eos Verbi Diuini successus, atque ita Illu:
C. V. ad sinceram ecclesiae reformationem aspiret qua
praecidantur omnes inimicorum de nobis querellae et scan:
dala. Blasphematur enim nomen Dei inter inimicos glo:
riae Christi propter eos qui vitam doctrinae Euangeli
cae contrariam ducunt. Quo animo nos atque ministri

*Epistola Ioannis Tomicki ad Albertum ducem. N. 1496, pars I.*



Ecclesiarū in Polonia hanc disciplinā invenimus et do:
mus Vilhelmus, et domus Funcktius Illustrissimae C. V.
abunde referet.
Et prudentia et aetate longe inferior ausus sum Illu:
C. Vram admonere nō. quo id nō perspicere Illust:
Celsitudinē Vram existimē, sed ut ea in re ut in
alijs omnibus animi mei erga Illu: C. V. promptitu
dinē declarē. Comēdo me fundē. Illust:. C. Vrae
grae Datū in Lissowo die 6 Septembris.
Anno dom 1 5 5 5

Illme sue Celsitudinis

Addictissimus servitor

Joannis de Thomice
Castellanus Regnensis
ssp

*Epistola Ioannis Tomicki ad Albertum ducem. N. 1496, pars II.*

TAB. III



Illustrissime Princeps domine domine clementissime.

Caeli et terrae summus arbiter orbis ille domitor unicus, Christus Iesus, servet Illustrissimam celsitudinem vestram, una cum sua suavissima Coniuge, et prolibus, ad nominis sui adorandi gloriam perpetuo felices etc.

Servitia et officia mea, fide, et integritate stabilia, in gratiam Illustrissimae celsitudinis vestrae comendo. Simulque significo, Literas Illustrissimae celsitudinis vestrae 2. Aprilis, mihi esse redditas, quo tempore, magno in discrimine vitae meae versabar. Universum enim corpus meum veneno sane gravi fuit infectum. Nunc itaque viribus plane exhaustus, et destitutus, animo languens, ea quae cupio effundere in papyrum nequeo. quae nihilominus deo meo propitio brevi, ut confido, oblata occasione, fidi et comodi tabellionis diligenter descripta transmittam. Sunt enim meo quidem iudicio res seriae, graves, Ecclesiae dei utiles, et Illustrissimae celsitudinis vestrae notitiae futurae iucundae. Interea mitto Illustrissimae celsitudini vestrae librum ex bibliotheca Amplitudinis Illustrissimae vestrae per D. Ioannem a Lasco usui acceptum (Theodoriti Episcopi Cyri) graecum Romae impressum. Quem quod maturius D. a Lasco non remiserit, multae causae obstiterunt. qui etiam aeger existens, et curis variis occupatus, sese Illustrissimae celsitudinis vestrae gratiae plurimum comendat. Cuius clementiae et pietati ego me, totum, do, dedico, et trado. quam servet servator omnium clementissimus. Datum in [illegible] Kazimiersa prope Cracoviam 15 Aprilis 1559.

Illustrissimae celsitud. vestrae

Confessionem Latinam utramque ut habeat curabo.

Servus Stan. Lutomirski corpore et animo affecto.

*Epistola Stanislai Lutomirski ad Albertum ducem. N. 1692.*

FINITO DI STAMPARE CON I TIPI DELLA
TIP. EDIGRAF - ROMA - TEL. 8271694
IL 6 DICEMBRE 1976

## ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES (cont.)

Vol. XI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* II pars. Ed. V. Meysztowicz, pp. VIII+287, 214 doc. (A.D. 1567-1579) 7 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1964.

Vol. XII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* III pars. Ed. V. Meysztowicz, pp. V+291, 163 doc. (A.D. 1571-1576), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., 1964.

Vol. XIII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici,* I pars. Ed. C. H. Talbot, pp. XVI+175 (A.D. 1598), 2 tab. Ind. nom. propr. 1965.

Vol. XIV — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae,* I pars. Ed. W. Wyhowska - De Andreis, pp. VI+234, 177 doc. (A.D. 1575-1668), 4 tab. Ind. nom. propr. 1965.

Vol. XV — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* IV pars. Ed. V. Meysztowicz, pp. VI+340, 211 doc. (A.D. 1575-1587), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1966.

Vol. XVI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* V pars. Ed. V. Meysztowicz, pp. VII+336, 227 doc. (A.D. 1587-1590), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1966.

Vol. XVII — *Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici,* II pars. Ed. C. H. Talbot, pp. VII+311, 169 doc. (A.D. 1411-1616), 2 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1967.

Vol. XVIII — *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino,* II pars. Ed. W Wyhowska De Andreis, pp. VIII+256, 140 doc. (A.D. 1669-1676), 4 tab. Ind. nom. propr. 1968.

Vol. XIX — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* VI pars. Ed. V. Meysztowicz, pp. VIII+429, 121 doc. (A.D. 1556-1620), 4 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. 1968.

Vol. XX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae,* II pars. Ed. C. Lanckorońska et G. Steen Jensen, 266 doc. (A.D. 1577-1696) 4 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VI+324, 1969.

Vol. XXI — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas,* VII pars. Ed V. Meysztowicz, 187 doc. (A.D. 1491-1696) 2 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VIII+262 1970.

Vol. XXII — *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi,* I pars. Ed. V. Meysztowicz et W. Wyhowska De Andreis, doc. 183 (A.D. 1535-1588) pp. VIII+210, 2 tab. 1970.

Vol. XXIII — A. *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi* II pars. Doc. NN. 184-319 (A.D. 1598-1772) Ind. nom. propr., ind. chron. B. *Documenta Polonica ex Archivo Capitulari in Brisighella.* 63 doc. (A.D. 1578-1588) Ind. nom. propr., ind. chron. Ed. V. Meysztowicz et W. Wyhowska De Andreis, p. 297, 2 tab. 1970.

Vol. XXIV — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae* III pars. Ed. C Lanckorońska et G. Steen Jensen, 152 doc. (A.D. 1419-1564) pp. VIII+301, 4 tab. 1971.

Vol. XXV — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae* IV pars. Ed. C. Lanckorońska et G. Steen Jensen 78 doc. (A.D. 1563-1572). 6 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VIII+248, 1971.

Vol. XXVI — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino* I pars. Ed. V. Meysztowicz et Wanda Wyhowska De Andreis, 145 doc. (A.D. 1559-1589) 4 tab., pp. VIII+320, 1972.

Vol. XXVII — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino* II pars. Ed. V. Meysztowicz et Wanda Wyhowska De Andreis, 262 doc. (A.D. 1589-1612), pp. VIII+377, 1972.

Vol. XXVIII — *Res Polonicae ex Archivo Mediceo Florentino* III pars. Ed. V. Meysztowicz et Wanda Wyhowska De Andreis, 205 doc. (A.D. 1613-1626), 4 tab. Ind. nom. propr., ind. chron., pp. VIII+376, 1972.

Vol. XXIX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae* V pars. Ed. C. Lanckorońska et G. Steen Jensen, 139 doc. (A.D. 1578-1630), 5 tab. Ind. nom. propr., ind. chron. pp. VIII+376, 1972.

Vol. XXX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano* I pars. Ed. C. Lanckorońska, 447 doc. (A.D. 1525-1548), 9 tab., elenchus epistolarum, elenchus sigillorum, ind. nom. propr., pp. XV+259, 1973.

Vol. XXXI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano* II pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 448-854 (A.D. 1549-1562), 7 tab., elenchus epistolarum, ind. nom. propr., pp. IX+241, 1974.

Vol. XXXII — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano* III pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 855-1237 (A.D. 1563-1572), 10 tab., elenchus epistolarum, ind. nom. propr., pp. VIII+268, 1974.

Vol. XXXIII — *Res Polonicae ex Archivio Regni Daniae*, VI pars. Ed. C. Lanckorońska et G. Steen Jensen, 140 doc. (A.D. 1632-1699), 5 tab., ind. nom. propr., ind. chron., pp. X+210, 1974.

Vol. XXXIV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano* IV pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 1-212 (A.D. 1525-1530), 6 tab., elenchus epistolarum, ind. personarum et locorum, pp. XVI+230, 1975.

Vol. XXXV — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano* V pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 213-551 (A.D. 1531-1537), 3 tab., elenchus epistolarum, ind. personarum et locorum, pp. X+228,

Vol. XXXVI — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VI pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 552-761 (A.D. 1538-1542), 3 tab., elenchus epistolarum, ind. personarum et locorum, pp. VIII + 227, 1975.

Vol. XXXVII - *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VII pars. E. C. Lanckorońska, doc. NN. 762-1049 (A.D. 1543-47), 4 tab., elenchus epistolarum, index personarum et locorum, pp. VIII + 256 1976.

Vol. XXXVIII - *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, VIII pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 1052-1215 (A.D. 1548-49), 6 tab., elenchus epistolarum, ind. personarum et locorum, pp. XII+206, 1976.

Vol. XXXIX — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, IX pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 1216-1424 (A.D. 1550-53), 4 tab., elenchus epistolarum, ind. personarum et locorum, pp. VIII + 226, 1976.

Vol. XL — *Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, X pars. Ed. C. Lanckorońska, doc. NN. 1425-1724 (A.D. 1554-1559), 3 tab., elenchus epistolarum, ind. personarum et locorum, pp. X + 226, 1976.

*Res Polonicae ex Archivo Regiomontano*, XI et XII partes, ed. C. Lanckorońska (in typis).


DEPOSITARII:

« International Book Distributors »
LIBRERIA
117-120, Piazza Montecitorio
00186 Roma

Orbis (London Ltd.)
66, Kenway Road
London S.W.5.

Institutum Historicum
Polonicum Romae
284, Via degli Scipioni
00192 Roma

Pretium: Lit. 8.000, $ 14,00, £ 5.50.

TIPOLITOGRAFIA « EDIGRAF » - VIA GIUSEPPE CHIARINI, 10 - TEL. 82.71.694 - ROMA